COMMENTARII
DE REBVS
IN
SCIENTIA NATVRALI
ET
MEDICINA
GESTIS.

VOLVMINIS IX. PARS I.

LIPSIAE MDCCLX.
APVD IOH. FRIDERICVM GLEDITSCH.
Venduntur etiam
Amstelodami apud I. Schreuder et P. Mortier iun. Londini apud C. G. Seyffert, Parisiis apud Briasson, Patauii apud I. Manfré, Venetiis in B. Albrizzi et S. Coleti officiuis, Romae apud Venant. Monaldini.

UNIVERSITY OF OKLAHOMA
LIBRARY



I.

Verhandelingen uitgegeeven door de Hollandſe Maatschappy der Weetenschappen te Harlem. Derde Deel. Te Haarlem by I. Boſch 1757. 8. Alph. 2. Tab. aen. 11.

h. e.

Commentarii Societatis ſcientiarum Harlemenſis. Pars III. Accedunt plagulae 72 obſeruationum meteorologicarum.

Deſcriptio globi coeleſtis, cuius poli mutari poſſunt Auct. IOH. NETTIS M. D. p. 1.

Experimenta ſuper colorum ſeparationibus inſtituta a beato LAMB. *ten* KATE. NEWTONVS mathematicorum facile princeps in libro, quo de optica exponit, primum docuit, in coloribus etiam muſicam ineſſe. Sed quas tradidit rationes Cl. KATE, dum viueret, paullo correctiores exhibuit. Deinde p. 17. p. 21. monet, priſmata triangularia, vel alia adhuc cognita adminicula, quibus colores in iride conſpicuos aemulari ſolemus, tantum ſufficere ad producendum

Hist. of Science

vnum arcum vel ſeriem colorum, quae poſſit in declaranda inter colores et tonos vnius Octaui ſimilitudine adhiberi. Quam ob rem de nouo plurium arcuum producendorum adminiculo cogitauit, quod ſic comparatum eſt: Si ſaponem in aqua ſolutum in calicem ex vitro paratum infundas, vt orificium tenui aliqua, viſcida tamen lamella obtegatur; ſi porro calicem hunc aduerſum feneſtram inclinatum ſtatuas: ſenſim paulatimque in hac lamella tenui varii arcus colorati in conſpectum venient, vnus poſt alterum, diuerſae latitudinis. Qui primum conſpicuus eſt, anguſtus apparet, qui ſequitur paulo latior; et ſic reliqui in latitudine creſcunt, donec alii latiores quidem, ſed ſine colore adſpectabiles fiunt. In fine monet, tantum tres eſſe colores principes, nimirum rubrum, flauum et coeruleum, ex quorum miſtione reliqui omnes deduci poſſent.

p. 31. *De curatione morbi in mammis feminae ex terrore exorti Auct.* B. EVVN. Femina quaedam 40 annorum ex inopinato incendio terrore ita percellebatur, vt vehementes dolores inde in mammis ſentiret. Adhibitis multis remediis nullum aptius ad leniendos doloris cruciatus reperiebatur, quam carbonum candentium calor, quo vitioſae mammae manibus lente fricatae paululum recreabantur. Perdurante hac frictione mammarum papillae materiam quandam glutinoſam ſtillabant, manifeſto indicio, cauſam morbi in mammarum humoribus nimis craſſis et glutinoſis latere. Mammae vix turgidae et tumidae erant. Tandem Cl. Auctor, vt huic malo mederetur, eſt rogatus; quod hoc modo praeſtitit: In vnciam vnam ſp. matricalis ſtillauit 50 vel 70 guttulas ol. caieputi, hoc mixto iuſſit mammas per aliquot dies fricare. Poſthac aliud remedium ex vna vncia ſp. vini rectificati et 60 guttulis ol. culicaban parauit eo conſilio, vt mammae hoc remedio fricarentur. Atque cum haec omnia brumali tempore

pore contingerent, arbitrabatur, non inutile fore ſi mammae obtegerentur empl. baſilico ex reſinis variis parato. Quibus rite adhibitis femina liberata eſt doloribus omnibus. Tandem vt morbi cauſam penitus tolleret, pilulas ex aethiope minerali et reſina guaiac. confectas vſurpauit. Sic femina conualuit. Anno ſequente, iterum perterrita ſimili morbo laborauit, ſed iisdem, quae modo indicauimus, remediis adhibitis optimam recuperauit valetudinem.

De aëre tanquam cauſa multorum morborum eorumque remediis Auctore IOH. BASTER. Tanta eſt vis et poteſtas aëris in humanum corpus reliquaque animantia, vt quocunque ſtatu eum eſſe ponas, aut maximum vitae ſuſtentandae emolumentum aut pernicioſiſſimum morborum vel mortis etiam periculum afferre valeat. Multae et variae ſunt admirandi huius fluidi qualitates, quarum principes huc pertinentes ſunt, aërem ſemper eſſe in motu conſtitutum, in numero eſſe corporum grauium, ex partibus diuerſi generis conſtare, in vario ſtatu vel, ſiccitatis et caloris vel, humiditatis et frigoris etc. comprehendi. Hae qualitates omnes diverſa quidem ratione maxime tamen in humanum corpus influunt. Aerem inſpiramus, quo fit, vt eius particulae ſanguini noſtro immiſceantur. In aëre innatat vehiculum fluidi electrici, quod magnam affinitatem, cum nerueo fluido habet. Calidus aër euaporationem et tranſpirationem promouet, atque aperit poros et corporis interſtitia, contra frigus poros conſtringendo claudit ac perſpirationem moratur. Haec generatim de aëris qualitatibus, ſequuntur de vento, aëris grauitate, ſiccitate, calore, humiditate, de calido et humido, de frigido et ſicco, de frigido et humido, de impuro aëre ſpeciales diſputationes. Ventorum plures cauſae a phyſicis traduntur, quarum nullae tam vulgares tamque per-

p. 37.

p. 48.

ſpectae ſunt, quam quae a frigore et calore pendent. Calore enim rarefit aër et diſpellitur, frigore autem conſtringitur et grauior redditur, atque tum calore, tum frigore aëris aequilibrium tollitur. Ad qualitates ventorum, quod attinet, plures ſunt et ſeparatae. Septentrio in terra, quam Belgae colunt,
p. 52. per 42 prope dies quotannis ſpirat, ſiccus eſt et frigidus atque aëris grauitatem auget. Solanus vt plurimum frigidus coelum ſudum et ſerenum ſaepe efficit. Haec ventorum genera brumali tempore frigidam tempeſtatem annunciant, corpusque humanum validum et agile reddunt. Sed non omnibus mortalibus eſt proficuus Septentrio, affert enim incommoda paralyſi et podagra laborantibus, porro haemoptoicis, aliisque; exaſperat fauces, ventrem adſtringit. cet. Fauonius ex maribus veniens multos vapores et nubes aduehit. Auſter humidus et calidus aëris grauitatem minuit. Vterque ventus ingratus eſt hypochondriacis, hyſtericis, obnoxius neruorum morbis, morbis cutaneis, leprae, ſcabiei;
p. 55. caput grauant, corpus languidum faciunt. Cum immenſa ventorum vtilitas ſit, tum vel maxime corpus humanum recreant leniendo, promouendoque perſpirationem. Eſt vero recreationis refrigerationisque, quae corpori humano ab aëre moto contingit, ratio haec: cum calor in corpore naturalis 92 vel 94 grad. thermometri Fahrenheytiani cernatur, ſequitur, calorem in homine eum, qui in aëre inſit, longe ſuperare; quare in illam aëris portionem, quae hominis ſuperficiei proxima eſt, ſi in quiete ſit conſtituta, caloris copia ingreditur, et ſic humanum corpus circumdatum eſt atmosphaera aliqua calida, cuius calorem ipſo homo percipit. Iam ſpirante vento diſpergitur haec atmoſphaera, atque homo hanc caloris priuationem ſentiens, frigoris gradum percipit. Ex quo, planum eſſe, intelligitur, cur ventus proprie nullum frigus

producat

producat atque omnis refrigeratio a percepta caloris priuatione proficiſcatur. Ratio quoque in promptu eſt, cur cauendum ſit, ne quis tum, cum ob feruentiſſimum aeſtum corpus ſudore quaſi perfunditur, nimis feſtinanter ſe veſtibus exoneret. Inſignis, p. 61.
eſt preſſio, quam exercet aër in corpus humanum, nam ſi ponamus integram adulti hominis cutem continere 20 pedes quadratos, pedemque cubicum aquae pondere 42 libr. premere pondus, vt quo aër humanum corpus premit, non minus ſit, quam 42240 libr. Sed, qui fit, vt tantam aëris preſſionem nullo modo ſentiamus? fit hoc ex eo, quod aër, vt fluida quaeque, verſus omnes partes aequabiliter premit. Sic, ne vrinatores quidem, ſi modo machina, qua immerguntur, lente aquae immittitur, incumbentis ſibi ponderis ſub aquis profundis quidquam percipiunt; quamquam incumbentis aëris preſſio atque aquae, quando vrinator ad 300 pedes aquae immiſſus eſt, ter ſuperat eam, quam ſolus aër exercet, hoc eſt pondere 9+442000=378000. libr. vrinatoris corpus premit. Haec inſignis aëris preſſio, quam in corpus quodcunque exercet a tribus pendet rebus, primo atmoſphaerae altitudine, ſecundo eius denſitate, denique a corporis preſſi ſuperficie. Iam ſi vna harum rerum, quod ſaepe quidem accidit, mutetur, varia exiſtit preſſio. In Belgio maxi- p. 65.
mae et minimae preſſionis differentia 4000 libr. reperta eſt, quae variatio, cum magna ſit, non eſt, quod mireris immenſam aëris in humanum corpus vim et virtutem. In grauiori aëre corpus viget valetque, quod aëer extrinſecus partes magis comprimit atque efficit, vt ſanguis verſus cor aliasque internas partes vehementer protrudatur. Sed, ſi diu in hoc ſtatu aër permanet, humores condenſantur, globulique ſanguinei maiores ac duriores euadunt, vaſa nimis conſtringuntur, attritus particularum et cum eo coniunctus calor augetur; hinc

obſtructiones, morbique inflammantes exiſtunt. Si vero externa aëris preſſio remittitur atque imminuitur, aër in ſanguine aliisque corporis partibus quaquauerſum ſe euoluit et vaſa ampliora reddit, ex quo, dici non poteſt, quanta articulorum laſ-
p. 68. ſitudo, pulſuſque retardatio oriatur. Mathematici docent, minorum corporum ſuperficies in maiori eſſe ratione ad magnitudinem et ſoliditatem, quam maiorum ſuperficies ad ſuam magnitudinem. Hoc in cauſa eſt, cur infantis corpus ab atmoſphaera vehementius quam adulti hominis prematur. Infantis magnitudo duorum annorum ad magnitudinem adulti hominis vix eſt in tripla ratione. Qua tamen poſita, erit infantis ſuperficies ad ſuperficiem adulti hominis vt 3 ad 9, eorumque ſoliditates vt 3 ad 27. Ex quo conficitur, infantis corpus ter vehementius corpore adulti hominis ab atmoſphae-
p. 71. ra premi. In ſicco aëre aquoſae partes magno numero e corpore euolant, quo fit, vt vaſorum amplitudo coarctetur, et ſanguinis motus per orbem in vaſis inprimis capillaribus imminuatur, quae cum magnum intrinſecus calorem excitent, multorum morborum genera inde oriuntur; paulo plura tamen, ſi praeter ſiccitatem aër quoque calidus ſit. Sanguis animantium iis regionibus, vbi ſolis aeſtus feruentior eſt, craſſior apparet et nigricat. Calor 48 graduum aptus eſt ad ſeruandum ſanguinem dilutum, quodſi 80 vel 90 grad. ſit, quae mutatio humorum inde eueniet? Calor centum graduum et ſupra oui albumen coagulat. Si nimis magnus eſt aeſtus, multae oleoſae humorum partes e corpore egrediuntur et rotunda particularum ſanguinis forma in acutam anguloſamque mutatur, hinc acrimonia ſolidarum particularum agilitatem impediens. Quam infeſtus magnus calor ſit animantibus, expe-
p. 77. rimenta docent a Cl. BOERHAAVIO cum cane et fele inhypocauſto inſtituta. Tempeſtatem ſiccam et calidam

dam diu perſiſtentem comitantur febres malignae, cholerae, colicae bilioſae etc. Si quis in feruentis- p. 80.
ſima tempeſtate propter nimium ſudorem et de via faſſus ac defatigatus ſit, nullum ad impediendum ſudorem adminiculum aptius eſt, quam ſi eiusmodi laſſus et viribus quaſi exhauſtus vini aduſti, quantum buccae capiant, portionem ſumat. Vinum quidem aduſtum, ſi in aquam frigidam infundas, thermometrum ad adſcenſum cogit, itaque maſſam calidiorem eſſe oſtendit, at hic caloris gradus cito tranſit, quod ſimiliter in ſanguine ex aſſumpto vino aduſto fieri valde probabile eſt. Humidus aër ob p. 82.
vaſa abſorbentia per vniuerſum corpus humanum diffuſa, quae aqueas in aëre natantes particulas continuo ſugent, obnoxius et damnoſus eſt, nam partium validarum cohaerentia imminuitur, fibrae et vaſa ipſa remiſſiora euadunt, tonus vaſorum eorumque virtus debilis fit, ſanguinis celeritas per orbem moti retardatur, ſanguis craſſior et tenacior redditus impeditur, quo minus poſſit in vaſa capillaria ingredi, ſecretio humorum ex ſanguine perficiendorum inepte circumſcribitur, abſorptae a vaſis abſorbentibus et recurrentibus aqueae particulae ſanguini immiſcentur, interſtitia et pori clauduntur atque oppilantur, vaſa abſorbentia dum nimis turgent, efficiunt premendo dimetientes vaſorum exhalantium minores atque exhalationem ipſam imminuunt. Calidi aëris eſt etiam atque humidi laxare fibras, quid coniuncti facient? profecto vi- p. 92.
rium debilitas et remiſſio multo maior timenda erit. Vt, qui ex eiusmodi aëris ſtatu proueniant, morbi initio ſtatim euitari poſſint, ſolidarum partium corroborandarum cura gerenda eſt et globulorum ſanguineorum vis elaſtica ſeruanda. Carnibus tenuibus et delicatioribus veſcendum eſt, et potiones refrigerantes vſurpandae. Cauendum modo eſt, ne eiusmodi cibis, qui humidae ſint naturae,

nimia copia vtamur v. c. iuſculis ex compreſſis carnibus confectis. Porro euitandae et hae res ſunt, quae exhalationem minuunt v. c. Lardum, argillae, oſtreae, potio ex Coffea et Thea parata, aliaque potionum aquoſarum genera. Vtilia ſunt balneae frigidae, alui purgationes, eccoproticum; damnoſa eſt larga venae ſectio in febre a calida humidaque tempeſtate effecta. Omnium tamen maxima vitae ſeruandae vis ineſt in ventis, Septentrione et Aquilone, quippe qui aëris limpiditatem, ficci-
p. 98. tatem grauitatemque reſtituunt. Aer frigidus et ſiccus ad corpus noſtrum magis accommodatum eſſe videtur, quam calidus. Sed omni periculo liber non eſt, ſi vehemens ſit et per longum temporis interuallum perduret. Frigus corpora quaeque conſtringit, ex quo efficitur, vt motus ſanguinis per externas corporis partes, frigori maxime expoſitas, lentior fiat, in interioribus vero partibus celerior euadat; deinde, vt ſolidae partes ex frigore obrepant minusque volumen occupantes maiorem vim elaſticam acquirant; Denique vt globuli ſanguinei nimis compreſſi impediantur, quo minus oualem formam tantopere neceſſariam induant. Aer frigidus innumeras partes nitroſas complectitur, quae exhalationi impedimento ſunt. Frigidae tempeſtatis affectiones valde moleſtae ſunt hypochondriacis; notatu enim dignum eſt, quod in Anglia brumali tempore autochiria ſit frequentiſſima. Qua tempeſtate frigida proficuum eſt, ſi prandium iuſculo gallica ratione confecto, aperiamus. Vtiles quoque ſunt potiones calidae et diluentes. Ne mane ieiuni exeamus, euitandum eſt. Laudantur venae
p. 106. ſectiones. Aer frigidus et humidus anginae, febrium intermittentium et lentarum continuarum, ſcorbuti etc. cauſa eſt. Hac perdurante tempeſtate plus, quam ſoliti ſumus, corpus motu corrigendum eſt, vt exhalatio iam impedita iterum reſtituatur. Veſtibus calidis vtendum eſt, et vinis corroborantibus;

tibus; pedes ante cubitum in aqua calida lauandi; lucubrationes maxime brumali tempore euitandae. Aer impurus et venenatis particulis infectus corrumpit ſanguinem reliquosque humani corporis humores. Cum enim ſubtiliſſimae illae partes admodum graciles ſint, facile accidere poteſt, vt ab inhalantibus vaſis abſorbeantur, quo ſanguinis globuli ad aſſumendam pungentem acutamque figuram cogantur, vnde multi morbi acuti originem ducunt. Interdum aër eiusmodi vaporibus exitialibus corruptus cauſa peſtis fuit. Huius corruptionis plus vnica ſit cauſa neceſſe eſt, quamquam certe definiri non ſemper poſſint. Saepe effluuia ſanorum hominum moleſta et periculoſa ſunt, vt, qui concioni interſint, vbi magna hominum multitudo adſit v. c. in aedibus ſacris, nauibus, cauponis, ſaepe experti ſunt. In fine quaeſtio ſoluitur, vtrum aër in Zeelandia, an in Hollandia ad valetudinem ſeruandam accommodatior. Non tam obnoxium eſſe aërem in Zeelandia, veluti ſibi perſuadent multi, Cl. Auctor colligit ex eo, quod terreſtres fructus longe praeſtantiores, effoſſae aquae dulciores atque cuncta animantia validiora, quam in Hollandia, reperiantur. p. 110. p. 124.

Solutio problematis de optima muniendi polygonii ratione Auct. N. YPEY. p. 134.

De ratione inter dimetientem et ambitum circuli diſputat D. KLINKENBERG. p. 147.

De male curata oſſis femoris fractura eiusque in priſtinum ſtatum reſtitutione Auct. G. TEN HAAFF. p. 158.

Puer 14 annorum decidens de ſublimi aliquo loco os femoris fregerat. Chirurgus, cui ſanandi cura demandata fuerat, haud felici ſucceſſu curationem abſoluerat. Pes male reſtitutus multo breuior altero extitit et de die in diem tabuit. Iam 16 hebdomades et quod excurrit, praeterlapſae erant, priusquam Cl. Auctor in auxilium vocabatur. Initio haeſi-

haesitans ob veteranum malum nolebat tam intricatae rei curam in se susciperе, persuasu tamen matris aegrotantis filii tandem commouebatur, vt
p. 167. instaurandae valetudinis initium faceret. Primum, quod adhibuit, remedium, eius erat indolis, vt callus, si posset, molliretur, quare adplicuit femori vnguentum resoluens ex mercurio viuo cum therebint. trito, addito vnguento populeo. Hoc vnguento bis singulo die vsus est, atque id eo loco, vbi opus fuit, vehementer infricauit et postea eundem locum illiniuit alio vnguento, ex farina lini et althaeae composito, cum aqua coctis et vnguento alth. simpl. Continuatis his remediis per 14 dies arbitrabatur callum forsitan ita emollitum esse, vt artificiosa fractio institui possit. Pueri in scamno ad longitudinem exporrecti pedem duo viri robusti et validi hoc modo apprehendunt, vt alter supra genu, supra fracturam alter pedem teneat et paulatim primo, deinde summa vi eum extendant. Repetita hac maximum dolorem efficiente extensione tandem fractura contigit. Pes ea, qua opus erat arte et industria ligatur. Tertia die asciae soluuntur ob vehementes dolores, quos aegrotans sentiebat. Explorata causa patet dolorem a fascia tortili esse ortum. Pes iterum ligatur hac tamen cautione, ne fascia tortilis vllum in posterum eiusmodi incommodum afferret. Post loco fasciae tortilis adhibetur corium crassum aqua emollitum et malleando ita excauatum, vt laesae pedis parti accurate possit applicari. Femoris os confirmatur. Impediendae tabis causa pes singulo die semel vel bis aqua spirituosa lauatur et fricatur.

De ventis constantibus et generalibus vulgo-Passaat-
p. 183. *Winden Auct.* M. SEMEYNS. Causae ventorum generalium variae a naturae indagatoribus in medium proferuntur. Quidam statuunt, hos ventos ex eo prouenire, quod, dum tellus rotatur, atque,

aër

aër cum eo, hic aliquantum tardior ad motum minus ſequatur telluris motum. Alii vero exiſtimant, ſolem huius venti, ab oriente ad occidentem ſpirantis, eſſe cauſam, quoniam is ob feruentiſſimum aeſtum aërem in zona torrida ab oriente in occidentem protruderet. Sed ſi quis ad rem animo attendere velit, ſufficere ad explicanda haec ventorum genera. Nam ſi calorem ſolis cauſam eſſe ſolam ponamus, tantum abeſt, vt venti generales ab oriente in occidentem ſpirare poſſint, vt potius aër contraria directione moueri debeat. Quae p. 190. cum ita, ſint Cl. Auctor has nominatas cauſas coniungit atque aliam ventorum generalium explicationem tradit. Dum terra ſpatio 24 hor. ab occidente in orientem circumrotatur, accidit, vt aër tanquam fluidum corpus prope tertiam partem remaneat, adeoque motum ab oriente in occidentem adquirat. Solis vero calor motum priori contrarium ab occidente in orientem producit. Iam ſi aëris moti vis ab oriente in occidentem maior ſit ea a ſolis calore effecta, vel minor vel aequalis alteri varii ventorum generalium motus prouenient. Ad quod accedit, quod a partibus maris terrae vicinis aliisque terrae continentis locis a radiis ſolaribus calefactis horum ventorum directio valde impediatur multumque mutetur. Quibus conceſſis cauſis tanquam primis facile mutationes generalium et anniuerſariorum ventorum explicari atque illae quaeſtiones ab Auctore propoſitas ac ſolutas maximam partem enodari poterunt. Sunt autem quaeſtiones hae: 1) cur ventus conſtans et generalis per p. 198. totum annum ab oriente in occidentem ſpiret in mari athlantico, aethiopico, ſimiliter in mari pacifico ad latitudinem bor. et auſtr. 28 vsque ad 30 grad.? 2) cur tales venti ſe vlterius non extendant aequabiliter et conſtantia aliqua praeter dictos gradus? In cauſa eſt terrae rotatio et calor ſolis, quatenus

tenus non a circumiectis et proximis terrae partibus impediuntur. 3) Cur circa litora *Guineae* in *Africa* ventus generalis, qui aquilo ad ſolanum accedens eſſe deberet, ſemper africus ſit? Sine omni dubitatione hoc proficiſcitur a ſolo admodum arenoſo ex calore ſolis vehementer aeſtuante, et diu
p. 200. aeſtum conſeruante. 4) Cur in haemiſphaerio boreali plerumque perpetuus aquilo ſpiret; et in locis latitudinis auſtralis conſtans eurus obſeruetur?
p. 204. Hoc intelligitur partim ex terrae rotatione partim ex motu ſolis in ecliptica. 5) Cur in parte boreali maris indici venti in vno ſemeſtri cum eis in reliquis maribus conſpirent, in altero tamen ſemeſtri mutentur et e regione priori contraria progrediantur, ſpirante tamen vento in auſtrali huius maris parte eodem tempore ſolano ſeu euro? Haec inopinata venti mutatio quaerenda eſt in ampliſſimis illis regionibus, huic mari e ſeptentrione oppoſitis. 6)
p. 209. Cur in mari chinenſi tantopere venti ab oriente verſus ſeptentrionem et ab occidente verſus auſtrum declinent? Mutatio haec a ſitu terrae continentis pendet, quippe quae maximam partem ad ſeptenp. 211. trionem et auſtrum vergit, 7) Cur eurus a medio aprilis vsque ad medium nouembris in mari indico vsque ad latitudinem auſtralem 2 grad. ſpiret, cum contra a medio nouembris ad medium aprilis intra *Timorem* et *Hollandiam* nouam fauonius vehemens ſit, et a 2 ad 3 grad. et a 10 ad 11 grad. latitud. auſtralis fauonius et caurus vela. inflet. Huius quaeſtionis ſolutio ab iisdem, quas ſupra diximus, pendet cauſis.

p. 223. *De vtilitate numerorum triangularium in definiendis ſpatiis vel. temporibus corporum grauium et labentium Auct.* N. ENGELHARD.

p. 231. *De doliorum menſura ope calculi fluxionis inſtituta et correcta Auct.* D. KLINKENBERG.

De

De aequationibus cubicis exponit WILH. OTTO REITZ. p. 239.

Deſcriptionem turbonis aquei eiusque explicationem tradit Mr. I. F. DRYFHOVT. p. 321. Turbo aqueus, quem belgice *Hoos* et gallice *Trombe de Mer* appellant prope *Hagam comitum* a Cl. Auctore et aliis an. 1751 media aeſtate obſeruatus fuit. Hunc primum ſatis copioſe deſcribit, deinde generatim in cauſam huius aliorumque turbonum inquirit. Nolumus iam in tradenda huius turbonis deſcriptione cuiquam eſſe moleſti, inprimis cum multa, quae cum eo coniuncta fuerunt atque ab eo effecta, cum aliis eiusdem generis turbonibus conueniant. Sed ad cauſas quod attinet, quas Cl. Auctor in declarandis turbonibus indicauit, non poſſumus non, quin paucis de eis mentionem iniiciamus. Nautae plerumque ſibi perſuadent, turbones, quam profunderent, aquam ex mari ſugere; ſed falſam eſſe hanc ſententiam, nulloque niti fundamento facile perſpicitur. Alii turbonum cauſam hanc eſſe credunt, vt nubes in ſublimi pendens deorſum in aliam nubium copiam laberetur, quo efficeretur, vt aer, velut in aëlipola comprimeretur et compreſſus per inferiorem nubem magno impetu deorſum prorumperet. Sunt, qui contendant, turbones oriri, ſi duo venti contrariis directionibus nubem intermediam comprimerent et ſimul ita contorquerent, vt vortex quidam aqueus ſuo pondere ex nube deſcenderet. At neutram harum ſententiarum ſufficientem eſſe, colligit ex eo, quod neque lapſus ſublimioris nubis in alias ſubiectas, neque motus in orbem vllus in turbone illo, quam obſeruauerat, poterat animaduerti; miſſis aliis etiam difficultatibus, quibus iam dictae ſententiae premerentur. Aliam itaque docet explicandorum turbonum rationem, quam principem et proximam eſſe quaerit in vario caloris et frigoris diſcrimine. p. 343

Tuno

Tunc temporis, cum turbo aqueus conſpiceretur, ventus e regione auſtrali ſpirabat; quod genus ventorum in Belgio plerumque calidum eſt. Iam fingas aliud aëris flumen particulare priori aduerſum, quod e regione ſeptemtrionali ideoque frigida verſus nubem aliquam a priori vento aduectam prorumpat. Hoc alterum aëris flumen impediet, quo minus nubes progredi poſſit, eamque, ſi fieri poſſit, in alias minores diuidet, quae ob rariorem aërem in ſuperiore atmoſphaerae parte in ſublime prope-
p. 349. rabunt. Ex quo patet, cur nubes, vnde turbo originem capit, paululum immobilis perſiſtat; cur flumen aëris ſeptemtrionale, reſiſtente nube et flumine aëris auſtrali cogatur ad motum in orbem inprimis circa nubem; nam eiusmodi motu poſito, cum ventus frigidus ſit, accidat, neceſſe eſt, vt vapores aquei ſuperiores conſtringantur et ad nubem ſubiectam delabantur; cur nubium congeries circumquaque compreſſa ſenſim paulatimque rotundiori forma et denſior obſcuriorque appareat; cur denique aqua e nube deorſum deſcendat, nam cum ventus ille frigidus ſupra nubem et ad latera potiſſimum ob rariorem ibi aërem in orbe ſpirare cogatur, efficitur, vt nubes ex frigore compreſſa in inferiore parte, vbi calidior aër ſit, vapores aqueos con-
p. 352. ſtrictos emittere debeat. Hac tradita turbonum cauſa ſequuntur explicationes effectuum, quos eiusmodi columnae aqueae producere ſolent.

p. 378. *Deſcriptio microſcopii ad minutiſſimas res contemplandas accommodati Auct.* PETR. LYONET. In exordio impellens cauſa corrigendorum microſcopiorum indicatur a Cl. Auct. qui, cum inſectorum contemplatione valde delectaretur atque animaduerteret, microſcopia non omnibus numeris eſſe abſoluta, de adminiculis cogitauit, vt, quantum fieri poſſit, minutae et oculorum aciem effugientes res commodius cernerentur. Primum itaque machinam

machinam ipſam vna cum aliis rebus, ad eam pertinentibus, deſcribit atque oſtendit, quo pacto eo ſit vtendum in contemplandis ſubtilibus rebus aliisque paulo maioribus. Deinde docet modum, quo poſſis accurate quidem rei, quae per microſcopium contemplaris, augmentum definire. Praeſtantiſſimi rerum opticarum periti plerumque contendunt, rem aliquam minutam nudo oculo valenti ſolere diſtinctam apparere in diſtantia 8 poll. anglic. ſeu $7\frac{3}{4}$ poll. rhen. Sed monet Auctor, hanc diſtantiam in vniuerſum non valere, neque pro norma in definienda magnitudine, per microſcopium aucta, poſſe aſſumi. Itaque loco $7\frac{3}{4}$ poll. rhen. diſtantiam $6\frac{1}{2}$ poll. rhen. ſumendam commendat, eamque applicat ad lentes ſui microſcopii et, quanta ſit magnitudo aucta per regulas ab opticis praeſcriptas, explorat. p. 393. p. 401.

Solutio problematis ad rem naualem pertinentis Auct. D. KLINKENBERG. p. 414.

Experimenta ſuper longitudine penduli ſimplicis Lugdunenſis inſtituta a IOH. LVLOF. Praemittit Cl. Auctor quaedam generalia de ſimplicibus pendulis, deinde ſtructuram deſcribit et apparatum illius penduli, quo ad definiendam longitudinem ſimplicis penduli vnius minuti ſecundi oſcillationem abſoluentis vſus eſt. Oſcillationum numerus a ſimplici pendulo in definito aliquo tempore abſolutarum dupliciter detegi poteſt, primo ſi oſcillationes ſimpliciter numerentur, quod quidem iterum duplici modo fit, vel nnmerando v. c. 3600 oſcillationes annotandoque minuta ſecunda, quibus accidunt, vel attendendo ad oſcillationum numerum, quae interuallo v. c. 3600 minutorum ſecund. abſoluuntur. Alter modus definiendi oſcillationum numeri ille eſt, quem Cl. MAIRAN docuit. Sumantur duo pendula variae longitudinis, quorum alterum interuallo vnius minuti ſecundi ſingulam oſcillationem peragit. Haec pendula initio quidem p. 419. p. 451.

oſcillationes aequabiliter perficiunt, paulo poſt tamen vnum altero celerius oſcillabit; praeterlapſo tandem tempore quodam iterum oſcillationes pares et aequales abſoluent. Iam hoc definito temporis interuallo ſimplicis penduli longitudo
p. 463. quodammodo erui poteſt. Simili ratione definiuit Cl. Auctor veram penduli ſimplicis longitudinem et cum hanc, tum reliquas, quas modo indicauimus normas inueniendae longitudinis adhibens quatuordecim experimenta inſtituit, atque ea, qua ſolet, perſpicuitate et accuratione cum lectore communicauit. Ex quibus, adhibita correctione, quam fili pondus et centrum oſcillationis requirebat, concludit, veram penduli ſimplicis longitudinem Lugduni Batauorum vnius minuti ſecundi tempore oſcillationem deſcribentis eſſe 440, 71183 lin. pariſ. ſeu
p. 501. 455, 963 lin. rhen. In fine de pendulorum ſimplicium definitae longitudinis vtilitate exponit, quae profecto magna eſt; nam hac perſpecta, ſpatium, per quod corpus graue, ſi nullus aër reſiſtat, tempore vnius minuti ſecundi labitur, commode definire poſſumus. Sic Lugduni Batauorum eiusmodi corpus primo minuto ſecundo per 2175, 14 lin. pariſ. ſeu 2250, 412 lin. rhen. $=$ 15′ 7″ 6, 412‴ rhen. labitur. Secundo a definita horum pendulorum longitudine pendet determinatio rationis inter axem terreſtrem et diametrum telluris. Nam ſi penduli ſimplicis longitudo ſub aequatore $=$ 439, 07 lin. et Lugduni Batauorum $=$ 440, 71183 lin., erit eiusmodi penduli longitudo ſub polis $=$ 441, 70325 lin. Ergo axis terreſtris ad diametrum terrae, vt 439, 07 ad 441, 70325 h. e. vt 168 ad 169, 006. Tenendum tamen eſt, hanc rationem non niſi hac lege eſſe largiendam, ſi meridiani terreſtres ad ellipſin apollonianam pertineant. Denique ex penduli ſimplicis longitudine, ſi ſemel eruta ſit,

poſteri,

posteri, amissam veram longitudinem mensurae alicuius populi accurate restituere possunt.

Tractatio aliqua mathematica Auct. D. KLINKENBERG. p. 509.

Continuatio experimentorum explicandae electricitatis causa institutorum a I. ENGELMAN. p. 518.

Proiectio eclipsium noua methodo proposita a D. KLINKENBERG. p. 540.

Obseruationes in Psalmos, qui Hammaaloth inscribuntur a CORNEL. CLEYN V. D. Min. p. 548.

Curatio vulneris in regione temporali dextri lateris Auct. I. H. SCHVTTE. p. 566.

Vir quidam acceperat vulnus a milite, qui stricto gladio tempora dextra eius percusserat. Praeter musculum temporalem, laesum quoque erat os temporum et vulnerata dura ac pia mater ita, vt arteriarum pulsus in cerebri superficie manifeste conspici potuerint. Ob magnam sanguinis copiam, quam laesae arteria carotides et vena iugularis externa atque interna profunderent, aegrotus vehementer, debilitabatur. Chirurgus tantum vulneris periculum animaduertens, aegrotanti nihil nisi linteorum ramenta tradiderat, vt ipse sanguinis profusioni quodammodo inhiberet. Sequente die Cl. Auctor vna cum alio chirurgo ad vulneratum accedit, quem viribus quasi exhaustum nec ad commedendum, nec loquendum aptum inueniunt. Vulnus hoc modo obligatur: Sicca linteorum ramenta, cum fomentatione ex herbis discutientibus vino coctis adhibentur; posthac turundae imbutae essentia succini et agrimoniae vulneri imponuntur matutino et vespertino tempore. Quinto die graui febre aegrotans afficitur et delirio corripitur. In eo fatali statu manet ad diem vsque nonum, ex quo tempore vtrumque malum sensim recedit. Die septimo fragmentum portionis squamosae ossis temporum e vulnere trahitur, die duodecimo tria alia minora et sic summatim tredecim,

ossicula sunt extracta. Nunc, qui vulneratus olim erat, nec in sumendis, neque manducandis cibis vllum incommodum sentit.

p. 575. *Curatio duarum arteriarum contusarum ab Auct.* PET. SANNIE. Operarii manus eo loco, vbi in pulsuum celeritatem inquirere solemus, a labente cuneo ita contundebatur, vt sanguis magno impetu prosiliret. Vulnus, quantum valet, pollice operit et chirurgi auxilium ex instanti petit. Hic, vulnus valde esse periculosum cognoscens, Cl. Auctorem adit, vt coniunctim huius rei curam gereret. Fascia tortilis adhibetur partim explorandi vulneris, partim impediendi fluxus sanguinis causa. Arteria laesa clauditur omni, qua opus est, cautione. Cochlea iam dicti instrumenti paululum retro voluitur, vt, num recte clausa sit arteria, cognoscere-tur. Vulnus obligatur. Compressiones ab instrumento factae iterum minuuntur. Altero die vnguentum leniens vulneri immittitur; Fascia tortilis vt ante. Sic indies continuatur, donec operarii manus ab instrumento, quod comprimendi causa adhi-
p. 581. bebatur et a vulneris periculo liberatur. Alter casus, quem commemorat, paulo difficilior est. Arteria dextrae manus viri cuiusdam eodem loco, vbi pulsuum celeritates tactu percipiuntur, ex nimia contusione laesa fuerat. Vulnus ex parte, sed male, curatur. Haud ita post dolores intolerabiles exi-stunt. Cl. Auctor, qui curam eius suscipere rogatur, simili modo, vt supra diximus, fascia tortili vtitur. Res primum ex voto succedit. Sed praeterlapsis octo diebus, cum aegrotus putaret, non amplius opus esse hac fascia incommoda, cochleam eius retro voluit. En nouam sanguinis profusionem! Accedente deinde Cl. Auctore fascia iterum adplicatur, arteria clauditur et vulnus omni industria obligatur. Tandem post aliquot dies manus bene confirmata est.

Noua

Noua varii generis ad ſocietatem miſſa.

NICOL. ENGELHART Prof. Groening. refert p. 601.
hanc rem valde notabilem: An. 1755 vidua, cuius maritus ante vndecim annos mortuus fuerat, vita functa eſt. Cadauer mariti reconditum erat in monimento conſtructo in aede ſacra, cui nomen a S. Martino eſt. Iam decretum erat ibidem ſepelire mortuam viduam. Monimentum aperitur. Libitinarius cupidine ductus aperit loculum, eo conſilio, vt de mariti cadauere cognoſceret. Adſtant duo verbi diuini miniſtri. En, repente prorumpit flamma in libitinarium, manu candelam tenentem, tanta vi, vt crines et veſtis capillamenta adurat.

I. D. GAVBIVS Prof. Lugd. Bat. mentionem facit p. 603.
de calculis ex vtero virginis 28 annorum eiectis. Virgo haec caſu quodam in eum morbum, quem prolapſum vteri appellant, incidit. Poſtquam hoc morbo iam quatuor annos laborauerat, demum medicae artis periti auxilium implorat. Dolores indies vehementiores exiſtunt. Tandem calculus ex vtero egreditur, aegrotans femina paululum recreatur. Aliquot dies poſt dolores acerbiſſimi eam vexant, nec prius deſinunt, donec duo alii calculi ex vtero proueniunt. Dolores quidem ceſſant, ſed paulo poſt cruciatus redeunt. Miſſis aliis duobus calculis vna cum magna copia materiae ſanguini ſimilis coniuncta, demum conualuit.

SERVAAS VAN DE COPPELLO M. D. *quae* p. 610.
de liene et renibus obſeruauerat, retulit. Puella quinque annorum et 6 menſ. aſcitide functa eſt vita. Vulgus, vt ſaepe fit, eam faſcinatam fuiſſe, firmiter ſibi perſuaſerat. Cadauer ſecatur. Omentum putredine corruptum et ſeparatum in pelue poſitum reperiebatur. Ventriculus et inteſtina illaeſa, aëre tamen ad craſſa vſque inflata. Hepar colore plumbeo, veſicula fellis praeter naturam repleta bile, atro colore tincto. Lien inconſueto modo paruus,

extrinſecus nigricans, atque eius vaſa omnia cartilaginoſa. Meſenterium hic illic obſtructionibus conſpicuum, renes quidem rite poſiti, dexter tamen ſiniſtrum longe ſuperabat. Succenturiati renes obturati et vt lienis vaſa cartilaginoſi. Haec in abdomine. In pectoris cauitate magna aquae pellucidae copia, non tanti odoris, quam in abdomine. Lobus pulmonum dexter ſuperiori parte putredine affectus. Pulmo exciſſus aquam ſtillabat. Cor in ſano ſtatu.

p. 618. I. F. SYBEL V. D. Miniſtri *obſeruationes quaedam de terrae motu* an. 1756 d. 18 Febr.

p. 621. EIVSDEM *deſcriptio terrae lapſus cuiusdam.*

Obſeruationes meteorologicae Suaneburgenſes annorum 1747. 1748. 1755.

II.

Dictionaire raiſonné et uniuerſel des Animaux ou le Regne Animal, conſiſtant en Quadrupedes, Cétacées, Oiſeaux, Reptiles, Poiſſons, Inſectes, Vers, Zoophytes ou Plantes animales; leurs propriétés en Médicine; la claſſe, la famille, ou l'ordre, le genre, l'eſpece avec ſes variétés, ou chaque animal eſt rangé, ſuivant les differentes methodes ou nouveaux ſyſtêmes de Meſſieurs LINNAEVS, KLEIN et BRISSON: par M. D. L. C. D. B. Ouvrage compoſé d'après ce qu'ont écrit les Naturaliſtes anciens et modernes, les Hiſtoiriens et les Voyageurs. Maior rerum mihi naſcitur ordo; maius opus moueo. Aeneid. Virg. L. VII. à Paris chez *Claude - Jean - Bauche*, Libraire, 1759. 4. Tome I. Alph. 4. pl. 14. Tome II. Alph. 4. Tome III. Alph. 4. Tom. IV. Alph. 3. plag. 11.

h. e.

h. e.

Lexicon vniuerſi regni animalis etc.

Tam foecundum eſt ſeculum noſtrum lexicis, vt vix doctrinam vel artem vllam appellaueris, in qua non poſſis vnum atque alterum horum librorum genus, quamquam non ſemper commendare, tamen, ſi opus ſit, in medium proferre. Eſt enim illis non vna eademque laus et fortuna, ſaepe etiam illa, quod inter omnes ſatis conſtat, magis damnum, quam vtilitatem afferre videntur. Sed noſtrum iam non eſt, vt, vtrum eis libris carere poſſimus, nec ne, doceamus, hoc tamen, vt opinamur, largiendum eſt, ſi rite in ea doctrina atque arte, quae magna rerum nominumque copia abundant, perficiantur, ſaepe, etſi non ſemper vtilitatis, tamen commoditatis eſſe eiusmodi libros. Talis eſt amplus ille liber, cuius ſummam nunc indicare decreuimus, quem quodammodo vtilem futurum, et commoda quaedam eſſe allaturum, ſi curatius eum volueris, nullus negabis. Complectitur quatuor tomos, in quibus varia nomina animantium recenſentur ac interdum explicantur, quidque de animali quoque ſit perſpectum, atque ab aliis litteris conſignatum traduntur. In primo tomo praefaminis loco inſtituta eſt breuis, manca et ſine ordine de regno animali generalis diſputatio, cuius partes ſunt: de animantibus cunctis, in hominis vtilitatem conditis; de animantium generatione et propagatione, multiplicatione, cura ſobolis, nutritione; de varia eorum diſtributione, a regione, eis conſentanea, ſumta; de guſtu, quo ad vitam ſeruandam praedita ſunt; de prouidente Dei cura in conſeruandis brumali tempore beſtiis; de auium migratione; de rapacitate et ferocitate, qua aliis beſtiis noxam inferunt; de adminiculis, quibus tanquam

armis ſe aduerſus hoſtes defendunt; de rapacium et crudelium animantium vtilitate in impedienda aliarum ſpecierum nimia multiplicatione; de beſtiarum carniuorarum neceſſitate; ſequitur deinde totius libri ratio et animantium diuiſio. Hanc de animantibus diſputationem generalem excipit catalogus principum auctorum, tam veterum, quam recentiorum, qui de animantibus ſcripſerunt, quorumque mentio in hoc lexico iniecta eſt. In fine vltimi tomi adiecta eſt materia medica regni animalis ex Cl. LINNAEI Syſt. nat. edit. VI et amoenitatibus T. II deſcripta; porro materia medica ex libris Cl. GEOFFROY. Denique exhibentur generales regni animalis diuiſiones a LINNAEO, KLEINIO et BRISONIO excogitatae, vna cum Cl. D'ARGENVILLI et ADANSONII conchiliorum diſtributionibus. Hic eſt totius libri adſpectus generalis. Sed videamus nunc paucis, quaenam ſit eius indoles. Continet fere vniuerſa illa, quae de animantibus a doctis viris tradita ſunt. In eo reperitur de animalibus quadrupedibus, auibus, piſcibus, inſectis, vermibus etc. non quidem abſoluta, tamen ampla et iucunda narratio. Deſignantur animantium nomina varia Sed tantum abeſt, vt nomina iſta, quae in ſeparatis articulis inueniuntur, omnia franco-gallico idiomate proponantur, vt potius ſaepe alia, italica ſcilicet, germanica vocabula articulo nomen praebeant, talis eſt ille articulus, qui inſcribitur *Stockfiſch*, multi alii. Miramur itaque hanc inopinatam lexici gallico idiomate ſcripti conſtitutionem; nam ſi ſemel, quod tamen ſaepe factum eſt, aliarum nationum nomine animantibus impoſito articulus inſcribendus erat, cur potius haec et non reliqua omnia proponenda ſint, non videmus. In hoc lexico porro deſcribuntur corporis animantium externae et internae partes, vita, mores, morbi, propagatio, educatio, qualis ſit

anima-

animalium vſus in nutriendo ſanandoque corpore humano, qualis in artibus humanis, oeconomia aliisque vitae neceſſitatibus et oblectamentis. In deſcribendis et diſtribuendis animantibus, quod ipſi monent Auctores, ſecuti ſunt Linnaeanam, Kleinianam et Briſſonianam diſponendorum animantium rationem. Saepe tamen et aliorum deſcriptiones atque explicationes ſubiiciuntur. Laudantur praeſtantiſſimorum ſcriptorum libri, vbi pinguior et vberior traditarum rerum deſignatio et deſcriptio reperitur. Cum ſaepe vnum idemque vocabulum variis rebus reſpondeat, non mirum eſt, ſi in eiusmodi articulis v. c. de libellis, canibus etc. omnia iſta animantia, ſiue ad quadrupedia, ſiue ad aues, piſces, inſecta pertineant, quia illis commune nomen eſt, coniuncta inueniuntur; ratio enim et ordo rerum alphabeticus hanc, vt facile quisque perſpiciet, animantium copulationem poſtulabat. In laude quoque eſt, quod, quae certa et probatis auctoribus confirmata ab eis narrationibus et fabulis, quae ſaepe commentitia et vix anili lucubratione digna ſint, curate et diligenter ſeparentur. Age nunc, quae diximus, exemplo illuſtremus. Sumamus articulum illum, qui eſt de apibus excellente et ſatis cognito inſectorum genere. Quae commemorant Conditores huius lexici de his inſectis maximam partem ſumpta ſunt ex egregiis illis REAVMVRI libris, qui ſunt de inſectis et apibus, vbi copioſe et docte omnia, quae poterant dici de his beſtiolis, diſputantur. In hac larga dicendi materia initium factum eſt de apibus proprie ſic dictis, de aluearium variis formis, de tribus illis apium ſpeciebus, quae aluiare ſingulum inhabitant. His poſitis deſcribuntur partes omnes, cum externae, tum internae in apibus diſcernendae; deinde quantum diſtant apes operariae ab apibus maribus et ape regina dicta narratur; ſequuntur vberiores

narrationes de alueolis apum, quibus mel recondunt, de propagatione, cera, melle, vita, hoſtibus et morbis apum, de fauo et admiranda eius conſtructione, de foenore, quod ex colendis apibus lucrari poſſumus. Abſoluto hoc de apibus proprie ſic dictis articulo in ſcenam prodeunt, alia apum genera, fuci ſcilicet, apes ſolitariae, ſyluaticae, bombyli, ſubterraneae, parietum lutariarum incolae et id genus aliae; porro de apibus peregrinis tantum, quantum ab aliis memoriae proditum eſt, proponitur; in fine quaenam ſit vtilitas apum, cerae, mellis etc. in re medica paucis indicatur. Haec de apibus. Subiiciamus nunc alterum exemplum ex numero animantium quadrupedum ſumtum. In articulo iſto, qui eſt de canibus, primum nomina, deinde definitiones et diſtributiones canum traduntur. Sequitur deſcriptio omnium partium, quae in corporibus caninis diſcernuntur. Mentio fit nutritionis, excrementorum, curſuum, quietis, propagationis et vocis; laudantur indoles peculiares, olfactus horum animantium; narrantur morbi et quinam ſit vſus canum in medicina. His declaratis canibus domeſticis, ſequuntur articuli de canibus ſylueſtribus et feris, de canibus volantibus ſeu veſpertilionibus LINNAEI; denique canes marini piſcium genus eorumque ſpecies traduntur et deſcribuntur. Sed ſufficiant haec, quae eo animo attulimus, vt, quale pretium huic libro ſit ſtatuendum, quodammodo poſſit intelligi.

III.

D. CHRISTIAN GOTTLIEB LVDWIGII Ord. Med. in Acad. Lipſ. Decani, definitiones generum plantarum, olim in vſum auditorum collectas, nunc auctas et emendatas edidit D. GEORG. RVDOLPH. BOEHMER Med. Prof. Acad. Witteb. Lipſiae, apud Io. Fr. Gleditſch, 1760. 8 mai. Alph. 1. pl. 16.

Quas anno trigeſimo ſeptimo huius ſeculi prima vice ad methodum RIVINI, elapſoque decennio ſecundum propriam, Riuino Linnaeanam methodum longe perfectiores ediderat generum plantarum definitiones Cel. LVDWIGIVS, nunc, cum ipſe Cl. Auctor aliis negotioſis actionibus fere obrutus, et a deliciis Florae remotus, ea, quae addenda et corrigenda eſſent, perficere haud potuerit, eius amici, et olim auditoris ſui Cl. BOEHMERI opera tertia vice euulgatas accepimus. Vt enim ipſe LVDWIGIVS in addita praefatione monuit, hunc libellum BOEHMERO ſuo integrum tradidit, permiſitque, vt mutanda, emendanda et augenda pro ſuo ingenio mutaret, emendaret, atque adderet; quae et omnia ita perfecit praeſtititque, vt vel ab ipſo LVDWIGIO applauſum reportauerit, nosque ipſi conſentientes, huic auctiori, et ad modernam huius ſtudii indolem accommodatae editioni Lectorum fauorem non defuturum eſſe, certo ſperemus. Vt vero de praeſtantia huius editionis aliquam exhibeamus ideam, notemus; in delineatione methodi nihil mutaſſe, characteres non modo eſſentiales, ex flore et fructu petitos, ſed et quandoque accidentales, ex reliquis plantae partibus collectos, retinuiſſe, in generibus vero inferioribus ordinandis, conſtituendis et denominandis paſſim receſſiſſe, immo

immo nonnulla noua genera condidiſſe; et proprias obſeruationes hinc inde adduxiſſe; in primis vero introductionem quaſi in plurima et praecipua botanicorum ſcripta perfeciſſe, auctorum citatorum libros, horumque paginas vbique ſollicite adduxiſſe, et in ſynonymiis colligendis, nouiſque a clariſſimis botanicis ſtabilitis generibus, genuinis aeque ac ſpuriis, ordinandis et diſponendis laudabileem operam adhibuiſſe. Praemiſit etiam operi, praeter diſpoſitionem methodi generalem, ſpecialem quoque generum ſciagraphiam, et auctorum citatorum catalogum, annotatis librorum plenis titulis.

His in genere notatis, et quaedam adducere liceat, quae botanici noſtri ſtudium huiusque editionis a priori diuerſitatem plenius declarant. Genera varia, a Cl. LVDWIGIO reiecta, et ad alia relata, denuo reſtituit; vt ſunt: *Bulbocodium Tourn. Antholyza* Linn. *Iaſione*, *Lycopſis*, *Atractylis* Vaill. *Helminthoteca*, *Crepis*, *Faba*, *Mariſcus* et ſ. p. Propter calicem etiam, defectumque ſquamularum corollae *Borraginoidem* a *Borragine* ſeparauit, prout et *Myoſotidem* ac *Heliotropium* pro diſtinctis adſumſit generibus, cum in priori tubus corollae non ſquamulis ſed plicis, in poſteriori vero praeter plicas ſquamulis ſimul claudatur. *Lauendulam*, *Origanum* et *Maioranam* denuo cum HALLERO propter calicem diuerſiſſimum ſeparauit; *Scabioſam* LINNIO auctore, in *Scabioſam* et *Aſterocephalum* diuiſit, et *Abſinthium* cum *Artemiſia* non coniunxit.

E contrario autem non nulla, antea ſeorſim propoſita genera combinauit, vel ad alia reduxit: Ita *Melothria* ad *Bryoniam*, *Aparine* et *Valantia ad Gallium*, *Cameraria* ad *Tabernaemontanam*, *Calamintha* ad *Meliſſam*, *Volkameria* ad *Clerodendrum*, *Celſia* ad *Digitalem*, *Agrimonoides* ad *Agrimoniam*, *Ficaria* ad *Ranunculum*, *Iſopyrum* et *Trollius* ad *Helleborum*, *Luteola* et *Seſamoides* ad *Reſedam*, *Pulſatilla* ad *Anemo-*

Anemonem, *Aphanes* ad *Alchimillam*, *Blitum* ad *Amaranthum* referuntur. *Quamoclit* porro cum *Conuolvulo* coniungitur, corollae enim figura ſtigmatumque numerus nimis variare ſolet. *Tinus* cum *Viburno* confluit, *Opulo* et *Sambuco* ſeorſim conſeruatis. In *Pruni* genere LINNAEVM ſecutus fuit, *Perſicam* vero ab *Amygdalo* ſeparauit; *Crataegum*, *Sorbum* et *Meſpilum* HALLERO duce, nec non *Caprifolium*, *Chamaeceraſum*, *Periclymenum* et *Xyloſteum* combinauit, *Aſcyrum* et *Hypericum* TOVRN. quoque vnit, ob fructum autem baccatum *Androſaemum* ſeparauit, et vt Cl. Auctor ſcribit; niſi ex hoc fundamento locum habeat diuiſio, non modo tria haec genera coniungenda, ſed et *Aſcyrum* LINN. addendum eſſe, cum ſtylorum numerus in variis ſpeciebus variet. *Rhodiolam Sedum* et *Semperuiuum* LINN. vnum conſtituunt genus, immo et *Penthorum*, nectariorum enim praeſentia in ſedo minus conſtans exiſtit, vix ab eodem ſeparari debere monuit. *Spiraeae* genus retinuit, *Vlmariam* vero, *Filipendulam* et *Aruncum* vnit, *Comarum* ac *Sibbaldiam* ad *Potentillam*, *Dryadem* ad *Caryophyllatam* retulit, *Fragaria* ſeparatim conſeruata. *Polygonum*, *Biſtortam* et *Perſicariam* combinauit, *Fagopyrum* autem retinuit; idemque genus glandulis octo ad baſin ſegmentorum calicis poſitis a prioribus differre, tradidit. *Abietem* quoque et *Laricem* coniunxit, *Pinum* autem, cum non, vt priores, duplicatam, ſed ſimplicem modo ſquamam, duobus ſeminum ouulis annexam, gerat, cum TREWIO diſtinctim retinuit. *Dracocephalum* quidem a *Moldauica* ſeparauit, aſt ſimul monuit, niſi a calice diuiſionis differentia aſſumatur, ſimillima eſſe genera, hinc ex ea ratione *Camphoroſmam* MORIS. et *Ruyſchianam* BOERH. *Dracocephalo*, *Pſeudo-Meliſſam* RIVINI *Moldauicae* adpoſuit. *Rhagadiolum* et *Hyoſeris* ad *Lampſanam* amandauit, *Hedypnoin* et *Zazintham* conſer-

conſeruauit, *Taraxaconaſtrum* VAILL. vero nomine *Hyoſeris* propoſuit. In *Alſines* genere LVDWIGIVM ſecutus, *Alſinem*, *Stellariam*, *Arenariam*, *Spergulam*, *Holoſteum*, *Polycarpon* et *Saginam* LINNAEI combinauit, *Moehringiam* vero et *Buſoniam* ſeparauit; Ita et *Lychnidem*, *Agroſtemma*, *Coronariam*, *Silenem*, *Cucubalum*, et *Veleziam* coniunxit, et cum TOVRNEFORTIO *Lychnidis* modo et *Cucubali* genus adſumſit, huicque ſtylos tres et capſulam trilocularem, *Lychnidi* ſtylos quinque et capſulam vnilocularem attribuit.

Plantas praeter ea quasdam ad alias reduxit claſſes. *Iridem* a monopetalis regularibus ad irregulares, *Diodiam* a monopetalis irregularibus ad regulares, *Pancratium* ab hexapetalis ad monopetalas repoſuit; *Senecionem* etiam a floribus compoſitis tubuloſis ad mixtos amandauit, et *Iacobaeae* ſpecies, radiatae vel ſint, vel non, modo calice conueniant, ad hoc genus referri debere affirmauit, prout et *Bidentem* ac *Verbeſinam* ex cl. III ad V et a latere *Siegesbeckiae* ac *Coreopſidis* poſuit, cum etiam in illis quandoque quaedam radii veſtigia inueniantur. *Eryngium*, *Phyllidemque* non pentapetalis regularibus, ſed vmbelliferis, et *Ceratoniam*, cum in culta planta ſemper omnes fere flores hermaphroditos eſſe cognouerit, non relatiuis, ſed perfectis apetalis floribus adpoſuit. *Frangula*, *Ziziphus*, *Rhamnus*, *Alaternus* et *Paliurus* plantae ſunt a Cl. LVDWIGIO ad monopetalas relatae, dum calicem pro corolla, petala vero pro ſquamis acceſſoriis adſumſerit, Cl. Auctor vero *Alaterno* tantum corollam monopetalam, reliquis pentapetalam conceſſit, monuitque *Frangulam*, *Ziziphum*, et *Rhamnum*, cum quo et *Cerui ſpinam* coniunxit, niſi ad ſeminum numerum reſpicere vellemus, coniungi poſſe, *Alaternum* vero propter corollam, et *Paliurum* propter fructum diuerſa omnino eſſe genera. In tetrapetalis irregulari-

gularibus carina vngue interdum diuiſa, quandoque vero duplex eſt; illas itaque, quarum carina dipetala eſt, LVDWIGIVS ex ſua methodo ad pentapetalas amandauit, quo autem hoc genus naturale coniunctim maneat, omnes combinauit BOEHMERVS, et ſic dictas pentapetalas ad tetrapetalas quoque repoſuit; inprimis cum dubium ſaepe ſit, an carina naturaliter-diuiſa exiſtat, an potius arte et aliqua vi ſeparetur in duo petala.

Nonnullis etiam generibus noua impoſuit nomina, et licet horum mutatio fere ſemper difficiliorem reddere ſoleat rem herbariam, tamen Cl. Auctori id minime vitio vertendum eſſe exiſtimamus, cum, nonniſi coactus quaſi hactenus adſumpta negligere, inque eorum locum alia ſubſtituere voluerit. *Bulbocodium* LINN. e. gr. *Celſiam* dixit, cum *Celſia* LINN. vera ſit *Verbaſci* ſpecies, *Bulbocodium* TOVRN. vero pro diſtincto genere conſeruauerit. *Ehretiam* TREW. *Schmideliam* dixit, dum genus *Ehretia* BROWNIO dictum aſſumſerit, vtrumque autem genus non, vt de LINNAEO dubie aſſerit, coniungere voluerit. Duo etiam ſunt, et vt Auctori videtur, diuerſa genera, BÜTTNERIAE nomine inſignita, ideoque BROWNII genus, cuius corolla monopetala eſt, et pomum globoſum vniloculare gerit, retinuit, alterum vero, a LINNAEO ita nominatum, petalis quinque et capſula quinqueloculari praeditum, WATSONII memoriae dicauit. *Lilio-aſphodelum Camerariam*, dixit, *Cameraria* LINN. ad *Tubernaemontanam* relata, et *Liliaſtro Hemerocallis* dicto. *Haleſiam* LINN. adpellauit *Hilliam*, eſt enim aliud genus *Haleſiae* nomine a BROWNIO inſignitum, a LINNAEO nondum commemoratum. *Diantherae* nomen, cum ordines in methodo ab antherarum numero deſumantur, minus aptum, cum *Iungia* commutauit; Cel. enim IVNGIVS in cognitione partium genitalium floris multum induſtriae adhibuit,

adhibuit, *Iungia* vero HEIST. Saluiae cenſetur ſpecies. *Lycopodium* a *Selagine* cum DILLENIO ſeparauit, hinc *Selaginem* LINN. *Manettiam* vocauit, et in ſic dicta *camphorata vmbellata*, quae huc pertinet, et calicem, a Linnaeana deſcriptione diuerſum, et corollam ſaepe octofidam, octoque ſtamina obſeruauit. *Ptelaeam* LINN. *Dodonaeam* adpellauit, genus enim *Dodonaeae*, antea ſtabilitum, cum *Ptelaea* conuenit, et hinc, cum duo genera vnum efficiant, botanici illius memoriam potius retinendam eſſe putauit. Tandem etiam monemus, quaedam noua genera conſtituiſſe Cl. Auctorem. *Alkekengi flore violaceo* FEVILL: quam ad *Atropam* reduxit Ill. LINNAEVS, pro diſtincto genere aſſumſit, et PHYSALODEM dixit. *Hieracium calice barbato* COL. cum nec commode ad *Rhagadiolum*, nec ad *Hieracium*, vel ad *Crepidis* aut *Hyoſiridis* genus referri poſſit, diſtinctim propoſuit *Swertiae* nomine, *Swertia* LINN. ad *Gentianam* relata. In tetrapetalis irregularibus *Meliloti* genus conſtituit, cuius characteres praecipui ſunt: carina breuiſſima, vexillo alisque corollam quaſi tripetalam referentibus, fructusque latus, et orbicularis; huc itaque et *Trifolii* et *Trigonellae* ſpecies conuenientes repoſuit. *Foenugraecum Tourn.* vero, licet flore cum *Meliloto* conueniat, propter fructum diuerſum, pro diſtincto genere retinuit. In graminum familia nouum genus *Achyrodis* nomine propoſitum, ſiſtit ſic dictum *Gramen barcinonenſe panicula aurea.*

Poſſemus etiam commemorare varias obſeruationes ſuis locis inſperſas, quibus characteres genericos quandoque perfectiores reddidit Cl. Auctor; Ita in familia dicarparum plantarum de ſtyli numero dubium mouet. In *Periplocae* flore ſimplicem modo inuenit, et in *Nerio*, vbi Ill. LINNAEVS nullum ſtylum, ſtigmata modo ſimplicia adeſſe ſcribit, ſtylum verum, longum, ſimplicem, longitudinali linea

linea diuiſum, duplicique circulari eminentia coronatum obſeruauit; hinc *Nerium* forte, vt et reliquas cum *Echite* BROWN. ad monoſtylas potius referendas eſſe, monuit. *Paronychiam* cum *Herniaria* potius quam *Illecebro* conuenire, accurata floris perluſtratio Auctorem docuit; In *Phaſeolo*, *Caracalla* dicto; vexillum in cochleam flexum et reliqua petala continens obſeruauit, hinc cum carina in *Dolicho* genus conſtituat, idem forte et de vexillo aſſumendum eſſe, affirmauit. Verum adducta ſufficiant, plura L. B. in perluſtratione libri ipſius inueniet.

IV.

Quaeſtiones medicae Pariſinae ex Bibliotheca GEORGII FRIDERICI SIGWART, Phil. Med. et Chir. Doct. huiuſque et Anatomes in Acad. Tubing. P. P. O. Med. Aul. Wirtenb. Facult. Med. Sen. Tubingae, impenſis Ioh. Georgii Cotta, 1759. 4 mai. Alph. 1, pl. 15½. Tab. aen. 1.

Quaeſtionum medicarum Pariſienſium hiſtoriam quandam dedit HYACINTHVS THEODORVS BARON, quam ſuo tempore delineauimus et aliquam earundem collectionem typis expreſſam exoptauimus *, duas etiam earundem decades Groeningae cura Cl. HEERKENS editas indicauimus **, nunc ſimilem collectionem a Cl. SIGWART ſuſceptam proponimus. Cum enim Cl. Vir per aliquod temporis ſpatium ad rem medicam et chirurgicam excolendam Pariſiis commoraretur, non tantum quaeſtiones plurimas collegit, ſed etiam paulo poſt edendi conſilium cepit. In hac

* vid. Comment. noſtr. Vol. III. P. II. p. 344.
** l. c. Vol. IV. P. II. p. 329.

hac re expedienda conſultius eidem viſum fuit, neque a recentiſſimis, quae facile comparari poſſunt, neque a vetuſtioribus temporibus initium facere, ſed quaeſtiones, quae anno quadrageſimo ſecundo huius ſeculi prodierunt, primum exhibuit, quo ea ſpecimina, quae a recentiſſimis quam proxime abſunt temporibus, traderet. Ne tamen fragmenta tantum ederet, omnes collegit, et nihil quidem mutauit, ſed curam habuit, vt correctius exprimerentur, quam ob cauſam quoque interdum diuerſas editiones comparauit. Noſtrum nunc eſt inſtitutum laudare, continuationem commendare et ſummam quaeſtionum, in hoc volumine contentarum, indicare.

p. 3. 1. An calculo renum et veſicae pro natura in calculi, aetate et temperamento aegrotantis remedium alcalino ſaponaceum anglicum? Praeſ. M. IACOBO ALBERTO HAZON proponit *Petrus Io-*
p. 27. *ſephus Maequer* affirmando. 2. An a vomitoriis febrium intermittentium auſpicanda curatio? Praeſ. M. CLAVDIO CAROLO DE IEAN proponit *Syl-*
p. 33 *veſter Antonius le Moine* affirmando. 3. An in acutis aliquando cunctandum? Praeſ. M. FRANCISCO FELICITATE COCHV. proponit *Carolus Franciſcus*
p 39. *Boutigny des Preaux* affirmando. 4. An in diuturnioribus euacuationibus raro adſtringentia? Praeſ. M. LVDOVICO FLORENTIO BELLOT proponit
p. 43. *Vrbanus de Vandeneſſe* affirmando. 5. An raro haemorrhagiis adſtringentia? Praeſ. IOHANNE DE DIEST proponit *Theodorus Baron d'Henouville*
p. 58. affirmando. 6. An vulnerum curatio quo ſimplicior eo melior? Praeſ. M. IOSEPHO DE IVSSIEV proponit *Ioſephus Maria Franciſcus de la Sone* affir-
p. 65. mando. 7. An in pectoris hydrope quo maturior eo felicior thoracis paracentheſis? Praeſ. M. HENRICO FRANCISCO BOVRDELIN proponit *Io-*
p. 78. *hannes Franciſcus Iſez* affirmando. 8. An in abſceſſu media-

mediaſtini celebranda ſterni terebratio? Praeſ. M. ROBERTO HVBERTO LINGVET proponit *Carolus Ludouicus Liger* affirmando. 9. An in omni partu operatio chirurgica? Praeſ. M. ANTONIO IOHANNE DAVAL proponit *Franciſcus Dauid Heriſſant* affirmando. 10. An in herniis inteſtinalibus, etiam cognita inteſtini prolapſi laeſione, operatio celebranda? Praeſ. M. PETRO ROVSSIN DE MONTABOVRG proponit *Carolus Franciſcus Boutigny des Preaux* affirmando. 11. An ſuendi tendines? Praeſ. M. ACHILLE FRANCISCO FONTAINE proponit *Iacobus Franciſcus le Chat de la Sourdiere*, negando, 12) An praegnanti, ſuperueniente vteri haemorrhagia partus manu promouendus? Praeſ. IOH. BAPTISTA LVDOVICO CHOMEL proponit *Petrus Bercher* affirmando. 13. An fracto cranio ſemper admouenda terebra? Praeſ. M. HYACINTHO THEODORO BARON proponit *Theodorus Baron d'Henouville* negando. 14. An calculo veſicae ſcalpellum ſemper neceſſarium? Praeſ. M. LVDOVICO MARIA POVSSE proponit *Andreas Cantwell*, negando. 15. An cereoli in pleriſque vrethae fiſtulis ſectione praeſtantiores? Praeſ. M. ANTONIO CASAMAIOR proponit *Petrus Lalouette* affirmando. 16. An inflammationi, pro varia ſede, reſolutio vel ſuppuratio potior? Praeſ. M. RAYMVNDO DE LA RIVIERE, proponit *Petrus Ioſephus Macquer* affirmando. 17. An oculi punctio cataractam praecaueat? Praeſ. M. LVDOVICO PETRO LE HOC proponit *Abrahamus Franciſcus Leo Col de Vilars* affirmando. 18. An, vulnerata crurali arteria, ab amputatione auſpicandum? Praeſ. M. ANTONIO NICOLAO GVENAVLT proponit *Antonius Bergier* (*Vrbanus de Vandeneſſe*) negando. 19. An abiectu, lapſu, niſuue quandoque vertebrarum caries? Praeſ. M. FRANCISCO IOSEPHO HVNAVLD proponit

p. 84. p. 93. p. 105. p. 113. p. 122. p. 128. p. 154. p. 164. p. 171. p. 180. p. 189.

p. 199. *Iulianus Bouſſon*, affirmando. 20. An in omni tumore vt plurimum ſit tentanda reſolutio? Praeſ. M. IOHANNE BAPTISTA BOYER proponit *Ludouicus Renatus de Bois*, Monſpel. affirman-
p. 206. do. 21. An a ligatura polypi narium tutior curatio? Praeſ. M. BERNHARDO DE IVSSIEV proponit *Ioſephus Stephanus Guettard* affirmando.
p. 216. 22. An tenuium inteſtinorum vulnus letale? Praeſ. M. FRANCISCO MERY proponit *Syluеſter Anto-*
p. 225. *nius le Moyne* negando. 23. An herniae inguinali cum adhaeſione ſubligaculum nocet? Praeſ. M. PAVLLO IACOBO MALOVIN proponit *Natalis*
p. 230. *Maria de Geuigland* affirmando. 24. An curtae nares ex brachio reficiendae? Praeſ M. IOHANNE BAPTISTA DV BOIS proponit *Vrbanus de Van-*
p. 251. *deneſſe* affirmando. 25. An ſanitatem inter et morbum detur ſtatus medius? Praeſ. M. ELIA COL DE VILARS proponit, M. *Diamantes Vlaſius* affir-
p. 266. mando. 26. An ſanitas a debito partium tono? Praeſ. M. ANDREA CANTWEL proponit *Fran-*
p. 277. *ciſcus Saleſius Daniel Poullin* affirmando. 27. An humor perſpiratorius ſit excrementitius? Praeſ. M. THEODORO BARON proponit *Franciſcus Nicolaus*
p. 289. *Gautier du Rocher* negando. 28. An a vorticoſo motu ſanguinis calor? Praeſ. M. ABRAHAMO FRANCISCO LEONE COL DE VILARS proponit *Wil-*
p. 293. *helmus Ruellan* affirmando. 29. An a globuloſa ſanguinis ad cutim appellentis parte aethiopum color? Praeſ. VRBANO DE VANDENESSE proponit *Iacobus Verdelhan des Moles* affirmando. 30.
p. 301. An a valuulis inteſtinorum chymi progreſſionis determinatio? Praeſ. M. PETRO BERCHER proponit *Dionyſius Ponchon* negando.

V.

Quaeſtiones chemicae duodecim ab illuſtriſſimis Viris Regis Conſiliariis, Medicis et Profeſſoribus meritiſſimis R. R. D. D. IOANNE FRANCISCO CHICOYNEAV, Cancellario ampliſſimo ac iudice, ANTONIO MAGNOL, Decano venerando, HENRICO HAVGVENOT, ANTONIO FIZES, FRANCISCO DE SAUVAGES, FRANCISCO DE LA MVRE, FRANCISCO IMBERT propoſitae, in aula epiſcopali Monſpelienſi coram illuſtriſſimo ac venerabili D. D. FRANCISCO GABRIELE DE POMIERS DE ST. BONNET, Doctore Sorbonico Abbate Sti. Polycarpii et Vicario generali; pro regia cathedra vacante in Vniuerſitate medicinae Monſpelienſi, per obitum R. D. CAROLI SERANE Regis Conſiliarii medici et Profeſſoris meritiſſimi: quas fauente Deo et auſpice Dei-para propugnabit in auguſtiſſimo Monſpelienſis Apollinis fano, triduo integro mane et ſero diebus 5. 6. 7. menſis aprilis anni 1759. GABRIEL FRANCISCVS VENEL. D. M. M. Monſpelii apud Auguſtinum Franciſcum Rochard. 4. pag. 36.

Quinque ad nos peruenerunt eiusmodi titulo ornati libelli, quos varii auctores, vacantem ex obitu Cl. SERANE locum in academia Monſpelienſi ambientes elaborarunt, quorum quiuis duodecim quaeſtiones continet. Gratum omnino fore putamus chemiae deditis lectoribus, ſi omnes has ſexaginta quaeſtiones cum iis communicauerimus. Ita enim illas inuenimus comparatas, vt ob argumenti grauitatem attendendae omnino videantur.

Summo nimirum ſtudio omnique data opera conquiſitae ſtrenuis forſan chemiae indagatoribus anſam ſuppeditare poterunt, vnam alteramue earum vlterius perueſtigandi. Negari quidem non poteſt, commentariolos et ſubiectas reſponſiones non ſemper exhauſiſſe propoſitas quaeſtiones, quod tamen inſtituto potius, quam auctoribus erit vertendum vitio, quippe cum ii coacti fuerint, diſſertatiunculas ſuas vndecim dierum ſpatio elaborare, quos quidem nimis anguſtos temporis cancellos quilibet perſpiciet haud ſufficere ad rite penſitandas, vel et experimentis illuſtrandas, duodecim ex chemia depromtas quaeſtiones easque momenti grauiſſimi. Nec tamen omnem hac noſtra epicriſi laudem detrahere Cll. Viris nobis eſt animus, ſed lubentes profitemur, ineſſe etiam his multa, quae ingenii abundantiam artisque peritiam ſatis ſuperque declarant.

Quaeſtio prima: *an ſalia lixiuialia, e quocunque cinere elicita ſint, quid vnum idemque et vtrum praeſtantiora ſint, quae Tacheniano more parantur?* Ad vtrumque quaeſtionis membrum negando reſpondet, variisque experientiis ſuam ſententiam commonſtrat.

Quaeſtio ſecunda: *an ex ſulphure cum calce et ſalibus alcalicis fixis elici poſſit aliquid, quod aquarum thermalium vim referat, aut ei lucem aliquam adfundat?* Cum ſulphur aquis thermalibus tantummodo accidentali ratione inſit, hepar vero ſulphuris in naturae penu nuſquam obſeruetur, artificiale autem aquae tantum imperfecte immiſceri queat, negando reſoluit hanc quaeſtionem.

Quaeſtio tertia: *Lotii examen chemicum*: Recenſet hic varia ſalia, quae detexit in lotio chemicorum induſtria: ſal marinum, ſal mirabile perlatum, et, quod Cl. MARGGRAFIVS demonſtrauit, ſal fuſile ſ. microcoſmicum ipſi dictum, alcali volatile cet.

Quaeſtio

Quaeſtio quarta: *quomodo paretur oleum* DIPPELII, *quid praeparatione contingat, an vires anodynas poſſideat; aut aduerſus quendam morbum ſpecificas?* Optima illud parandi methodus Noſtro videtur illa, quam Cl. MODEL praeſcribit, plus tamen quater erit deſtillandum. Vires medicas ipſi tribuit ſumme anodynas, diaphoreticas, antifebriles, antiſpaſmodicas, diſcutientes; tam interne a viginti ad quadraginta guttas adhibendum, quam externe ad dorſi ſpinam illiniendum ſuadet.

Quaeſtio quinta: *quae ſit in alimentis pars reuera nutriens?* Non quoduis corpus naturale alendo corpori aptum eſt, nec omne, quod aſſumitur, totum in nutrimentum cedit, ſed multa ex iis, quae ingeruntur, ex eiusmodi corporum genere eſſe Noſter declarat, quae eſſentialiter non alimentoſa vocat. Ipſam vero ſubſtantiam, quae verum nutrimentum praebet eſſe partem mucoſo-gelatinoſam, quae in omnibus vegetalibus et animalibus reperitur, et a priori et a poſteriori demonſtrat.

Quaeſtio ſexta: *quaenam encheireſis adhibenda in praecipitati rubri praeparatione, et quaenam ſint eius vires?* Praeparationis ratio, quam adiecit, nihil noui continet. Adhibitus fuit mercurius praecipitatus ruber a veteribus, teſte Cl. ASTRVC, interne contra peſtem, doloresque colicos, ſiphillitidem, quartanam cet. A noſtri aeui medicis vero omnis internus eius vſus prorſus reiicitur, quanquam vt problema therapeuticum eius vſus diſquirendus videatur, ad ductum *Switeniani* remedii. Externe variis vſibus inſeruit et vt eſcharoticum et mundificans agit.

Quaeſtio ſeptima: *an nitrum contineant humores animales?* Reiicit, quam varii auctores propugnarunt ſententiam de praeſentia nitri in noſtris humoribus, cum nec experientia illud demonſtrari, nec ratiociniis coniici poſſe contendat.

Quaeſtio octaua: *an corpora naturalia, tum igne tum variis menſtruis varie vexando, virtutes medicas immutet chemia, et an easdem exſuſcitet, augeat, euehat?* Affirmat eam et multis exemplis ſuam hypotheſin corroborat.

Quaeſtio nona: *bilis examen chemicum.* Adfert quidem Cl. Auctor quaedam de bilis natura; aſſerit tamen, omnem, quae hucusque tentata fuerit, bilis diſquiſitionem mancam et fallacem eſſe, tum quia inſufficientia putat cognita nobis menſtrua, tum quia ne haec quidem accurate ſatis applicari ipſi videntur.

Quaeſtio decima: *an veſicae calculus tuto in ipſa veſica per menſtrua chemica ſolui poſſit?* Impoſſibile illud iam ab HELMONTIO habitum fuit, nec felicioris ſucceſſus noſtri aeui fuerunt experientiae. Conſtant veſicae calculi ex terra calcarea ſeroſo glutine coadunata, abundantiſſimoque aere: alii albicantes cretacei, alii ex craſſioribus moleculis compoſiti; ſi duriores ac firmi, *ſilicei* dicuntur, ſi laxi ac rari, *arenoſi* appellantur. Duplici modo agunt remedia in calculos eiusmodi, vel enim ipſam lapilluli mixtionem deſtruunt, et vt menſtrua eum ſoluunt; aut gluten, quo firmantur, eluunt, et hinc calculum in puluerem dehiſcere faciunt. Vnum hucusque vere calculos ſoluens menſtruum cognitum eſt acidum ſcilicet nitroſum. Cui tamen cum ad calculum perueniendi nulla, nec per humorum circulum nec per vrethram via apta ac idonea ſit, negando ad hanc quaeſtionem Cl. Auctor reſpondet.

Quaeſtio vndecima: *quid ſit oleum illud fumum emittens in carbone aeterno* HELMONTII? fixiſſima per ſe haec carbonaria mixtio, in libero aere per ignem conſumitur fatiſcit, tenuiſſimum animalibusque lethalem fumum emittens; quem quidem fumum ex phlogiſto carbonario, ſubtiliſſimam terram

ram incineratam ſecum rapiente, et atmoſphaericae aquae nupto conſtare noſter coniicit.

Quaeſtio duodecima: *quaenam ſint martis tincturae praeſtantiores? an* LVDOVICI *tinctura, an tinctura* STAHLII? In genere martiales tincturas praeſtare affirmat omnibus praeparatis ex ferro ſiccis, cum magis ſolutae ſint in iis ferreae particulae. Prorſus quoque reiiciendam eſſe monet diſtinctionem tincturarum in aperitiuas et adſtringentes, cum mere tonicae ſint, et contrahentes martis vires. Quarum vero eas eminentiſſimas eſſe contendit, quae cum ſpiritu ſalis marini parantur; cautiſſime vero exhibendas, et ob virium exceſſum ab vſu medico amandandas monet. Inter ſpirituoſas praeſtantiſſimam cenſet eam LVDOVICI, quae ſale ex tartaro et marte ſcatet. Mitiores ſunt illae, quae cum acidis vegetabilibus parantur, eoque perfectiores, quo magis ſaturatae ſunt, hinc laudat *tincturam martis tartaream*, quae et ſyrupus martis dicitur. *Stahliana* vero ab omnibus in eo differt, quod cum ſale alcalino fixo efficiatur, curioſa ſatis ac ſolerti encheireſi. Hinc acidis ſubigendis inſeruit, quae corrigit et ferrum, quam maxime diſgregatum, humoribus admiſcet. Hinc pro vario ſcopo peregregii vſus eam dicit.

Secundus libellus Auctore LVDOVICO ESTEVE. M. D. M. diebus Maii 10, 11, 12. propugnatus; 4. pag. 23.

Quaeſtio prima: *an alcalia volatilia, e quacunque ſubſtantia eliciantur, ſint una eademque ſubſtantia?* Quanquam odore et ſapore differre interdum ſalia volatilia alcalina, varioſque diuerſos omnino effectus cum alcalibus fixis mixta oſtendere videntur, has tamen differentias neutiquam eſſentiales aſſumit Cl. Auctor, ſed pro lubitu artificis mutari eas poſſe

 aſſerit.

asserit. Nec, nisi gradu, differt eorum vis medica, quam cardiacam dicit: specificam vero contra venena quaedam virtutem ipsis prorsus denegat, summaque cautione in iis interne adhibendis opus esse monet. Vnum ergo, ex his paucis praemissis, idemque esse asserit.

Quaestio secunda: *an mercurius vitae mitior fieri possit, et an in eo lateat magni momenti remedium, vt quibusdam visum fuit.* Multis modis noxiam huius medicaminis indolem corrigere tentarunt varii, cum vel igni exposuerint et assidue agitando adhaerens acidum salis fugare anniti fuerint, vel adfuso spiritu vini, per eius principium oleosum inuoluere acidi venenatam indolem tentarint; nec negat noster, his enchiresibus mitius omnino factum fuisse medicamentum; infidum tamen illud et periculosum nihilominus illud putat, ex omni medicina reiiciendum, iisque tantum commodum, *qui incondita abundantia tegunt ignorantiae inanitatem.* Inuehitur etiam paucis in eos, qui mercurium sublimatum spiritu vini dulcificatum in morbis syphylliticis debellandis hydrargyrosi praestare putant, cum hocce medicamentum non modo exitiale, sed et ita comparatum sit, vt alios chronicos affectus insanabiles prorsus in corpore producat.

Quaestio tertia: *an fermentatio sit principium enucleandae oeconomiae animali accommodandum?* Negat id ex variis phaenomenis in corporis mutationibus perspiciendis, quamquam contendat aliquam lucem aetiologiae morborum ipsam affundere.

Quaestio quarta: *an tartarus stybiatus emeticis hactenus notis antecellat, vtrum validior debiliori praestantior sit, et quomodo praestantissimus parari possit.* Reiicit eum qui ope salium mediorum paratur; nec vitrum antimonii pro eo conficiendo adhibere suadet; nec hepar antimonii ob salium praesentiam

aptum

aptum ad hoc opus videtur, praeſtantiſſimum vero ope cremoris tartari et croci metallorum paratum putat, ſi praeſertim euaporatus ad ſiccitatem, non vero cryſtalliſatus, fuerit, quippe cum per cryſtalliſationem debilius efficiatur emeticum. Concludit vero tartarum ſtybiatum, etſi praeſtantiſſimus ſit, caeteris notis emeticis abſolute non antecellere.

Quaeſtio quinta: *an dentur ſalia per aërem vagantia et cuiusnam naturae ſint iuxta experimenta a multis inſtituta?* Dari talia ſalia ex multis experientiis conſtare aſſerit, naturam vero eiusmodi ſalis aetherei, non vitriolicam eſſe, nec nitroſam, ſed magis accedere ad ſpiritum ſulphureo-volatilem, Noſter contendit.

Quaeſtio ſexta: *an tota ſubſtantia antimonii in chermes minerale verti poſſit; et an cum quocunque ſale paratum idem omnino ſit?* Primum huius quaeſtionis membrum affirmat, nec alterum negat, quamuis ſuadeat chermes per alcali nitroſum conficiendum eſſe.

Quaeſtio ſeptima: *an ſalia alcalia, cum ſint putrefactionis ſoboles, putrefactioni aduerſa eſſe poſſint?* Falſo ſal volatile alcalicum aptum putrefactioni fermentum dici aſſerit, et PRINGLII auctoritate, quamuis haec ſententia BOERHAAVII theoriae contraria ſit, affirmat, ſalia volatilia, etſi ſint putrefactionis foetus, ipſi tamen aduerſa eſſe poſſe.

Quaeſtio octaua: *an ſulphur et mineralia ſulphurea, antimonium crudum, et cinnabaris in circuitus orbitam tranſeant et in humores chemice agant?* Sulphur ingeſtum ad humorum circulum peruenire demonſtrat perſpiratio foetida, ſulphur ſolutum olens, et argentum nigro colore inficiens, aliique effectus in actionum mutatione percipiendi: cinnabaris, non ex parte ſulphurea, ſed mercuriali, agit in humores: antimonium vero crudum, a blandis actionibus

bus corporis alterari poſſe vix noſtro videtur vero ſimile.

Quaeſtio nona: *Quomodo paretur vitrum antimonii, an mitius fieri poſſit, et vt quibusdam viſum eſt remediis aliis praeſtantius ſit in colica pictonum et in dyſenteria?* Prorſus expungendum eſſe hoc remedium in hiſce morbis, quamuis vario modo ſit mitigatum, contra Cl. PRINGLIVM, auctoritate Cl. BARON affirmat.

Quaeſtio decima: *an ferrum rubiginoſum vires ferri immutati aut chalybis poſſideat, et quid ex ipſo decedat cum aqua iuxta* LEMERII *methodum aut rore maiali ſoluitur?* Decedit phlogiſton dum in rubiginem abit, hinc non immutati ferri vires rubiginoſum ferrum poſſidet.

Quaeſtio vndecima: *num ex omni materia animali et ex omnibus liquidis, per corpora circumeuntibus, extrahatur aequalis quantitas ſalis volatilis?* Negando reſpondet Cl. Auctor.

Quaeſtio duodecima: *an ſit quaedam encheireſis, qua antimonium ſpoliari poſſit vi ſua emetica, relicta interim vi aluum laxante?* Poteſt quidem additis pinguibus infringi ſtimulans particularum regulinarum actio, vti videmus in vitro cerato; tutum tamen remedium eiusmodi nunquam erit, hinc reiiciendum.

Tertius libellus Auctore FRANCISCO BROVSSOVNET D. M. M. diebus 31 Maii 1. 2 Iun. propugnatus, 4. p. 36.

Quaeſtio prima: *an medicamentorum facultates chemia detegi poſſint?* Chemia cognoſcit, 1. quaenam ſit in mixto pars reuera medicata, 2. principia illa medicata agere, vel ſoluendo, vel combinando, 3. motum hunc determinari ratione affinitatis: hinc affirmando Cl. Auctor reſpondet.

Quae-

Quaeſtio ſecunda: *an dentur alimenta, quae vera facultate medica conſtent?* Duplici modo conſiderat Cl. Auctor hanc quaeſtionem; vel enim de eo quaeritur, num in alimentis ſit vna pars nutriens, altera vero medicamentoſa; vel quaeritur, vtrum pars ipſa nutriens medicatas vires obtineat? prius multis exemplis probat; nutriunt lentes, ſimul vero aluum frenant; fraga blande nutriunt et ſimul vrinarias vias a ſabuloſis repurgant particulis: poſterius experientia docet in morbis, qui a nutritionis defectu oriuntur, vel et in iis, qui a nimia humorum fluxilitate generantur, vbi inſpiſſari humores per ſola nutrientia interdum poſſunt.

Quaeſtio tertia: *an falſa ſit et praeconcepta vulgatiſſima opinio de virtute diaphoretica, alexipharmaca, antiloimica carnis viperarum et cornu cerui?* Blandam vim diaphoreticam vtrique ineſſe aſſerit experientia ſuffultus, quanquam ex rationibus chemicis determinare non audeat, cuinam parti an ſali volatili, an oleo, an mucilagini ſit hic effectus adſcribendus.

Quaeſtio quarta: *an ſalia animalium neutra ſint, ſiue concreta? et an ex ipſis varia acida extrahi poſſint?* Neutra eſſe contendit in corpore ſano, cum ex morboſis mutationibus variisque cacochymiae vel acidae, vel alcalinae ſpeciebus probabile ſit, hanc ſalium *neutrificationem*, vti vocat, neceſſariam ad ſanitatis conſeruationem eſſe. Experientia quoque docet, ex variis animalium partibus poſſe acida ſalia educi, quae tamen inter ſe non diſcrepant, quamuis differant ab aliis cognitis acidis. Diſcrepat nimirum acidum animale ab iſto ſalis marini in eo, quod non turbat plumbi ſolutionem, cum aceto vel ſpiritu nitri factam. Ab aceto vegetabili differt in eo, quod cum ſale vrinoſo in ſal ammoniacale ſiccum concreſcat cet. Vtrum vero hoc acidum animale fuerit primitus acidum marinum, vegetabile, an ex aere aut ex mutationibus, quas

in

in corpore animali ſubit generetur, aliorum iudicio relinquit.

Quaeſtio quinta: *an detur medicamentorum correctio realis ac vtilis?* Realis correctio caute eſt inſtituenda, cum corrigens ſaepius vel infringat actionem corrigendi, vel interdum ex his binis nouum mixtum prodeat a ſcopo alienum. Nec tamen deſunt exempla verae et realis correctionis, e. g. ſpiritus vini ſiſtit corrigens reale ſpirituum acidorum cet. Reſpuunt vero plura ſimplicia eiusmodi correctionem. Vtilis autem correctio, quae iucunditatem medicamenti ſpectat, a medico clinico interdum ſumme neceſſario ſuſcipitur, vt iucunde mederi poſſit is, qui tuto mederi tentat.

Quaeſtio ſexta: *an chemia ſit alicuius vſus in dignoſcendis morbis, ſeu an ſemioticae inſeruiat?* Multis exemplis comprobat chemicum altius poſſe penetrare in ſigna diagnoſtica morborum, et ex variis excretorum qualitatibus abſcondita humorum vitia indagare.

Quaeſtio ſeptima: *quomodo ſolutum lateat ferrum in aquis ferrugineis et quid accidat, cum ſponte praecipitantur particulae ferreae?* Haeret quidem ſolutum ferrum in aquis ſaepius ſub vitrioli forma, dantur tamen et aquae martiales, quae tale vitriolum non gerunt. Hanc ſolutionem ab acido ſpirituoſo - ſulphureo - volatili principio deducit Cel. HOFMANNVS, cui et aſſenſum praebuit Cl. BOVLDVC et SEIP; prorſus tamen refutare hanc ſententiam anniſus eſt Cl. VENEL. Probatur Noſtro VOGELII hypotheſis, qui aërem vt ferri menſtruum conſiderat, quod et BOVLDVCII experimenta circa aquas Paſſienſes inſtituta confirmare videntur, qui obſeruauit eadem proportione praecipitari ex iis ferrum, qua bullulas aereas dimitterent aquae aeri libero expoſitae. Ad alteram quaeſtionis partem affirmat particulas ferreas aut ſub

ſalini

ſalini concreti, aut terrei magmatis forma fundum petere, quod tamen non, niſi difflato ſuperfluo aere fieri poſſe Noſter ſibi perſuadet.

Quaeſtio octaua: *an varius atmoſphaerae ſtatus per media chemica detegi valeat, hisque ex inſalubri ſalubris fieri?* Vtrumque Noſter affirmat. Lintea acidis imbuta, ſalium alcalinorum praeſentiam in aere manifeſtant: ſulphureis particulis repleta atmoſphaera vaſa argentea nigricantia reddit: panni rubiae radice tincti brunneſcunt in atmoſphaera maritima: arſenicum aeri ineſt, ſi cupri laminae argenteum ſplendorem aſſumunt; ſic quoque aeris vitia corrigit chemia, v. c. per lintea variis ſalibus imbuta transmiſſum aerem corrigi docuit HALAEVS: putridus aer aceti ſuffimigio emendatur: aer arſenicalibus particulis infectus ferri moleculis, quae auide abſorbent arſenicum, purior reddi poteſt.

Quaeſtio nona: *an et quomodo ſalia fixa encheireſi chemica et corporis viribus volatilem nanciſci poſſint naturam?* Diſcrimen inter ſalia alcalina fixa et volatilia in quantitate olei et terrae ponit: fixa plus terrae, minus olei, volatilia minus terrae, plus olei continent: oſtendit ſimul volatilitatem ſalis alcalini fixi ab vnione principii oleoſi dependere, quod ſapones confirmant, ex quibus deſtillatione ſal volatile extrahitur.

Quaeſtio decima: *quaenam ſit differentia inter olea animalium et olea vegetabilium, et an vtraque ad eandem olei ſpeciem reduci poſſint?* Differunt omnino ad mentem Cl. Auctoris, et quidem in eo, quod olea animalium alcali volatile, vegetabilia vero plus acidi contineant: poſſunt tamen etiam mutari et identicam indolem nanciſci.

Quaeſtio

Quaeſtio vndecima : *an corpori animali infuſa ſit et circumfuſa ſubſtantia promtiſſime igneſcibilis phoſphorica* ? Electricitatis phaenomena, vt et a variis auctoribus fide digniſſimis commemorata exempla probare Noſtro videntur huius quaeſtionis affirmatiuam reſponſionem.

Quaeſtio duodecima: *an detur ſal quoddam peculiare microcoſmicum et cuiuſnam ſit indolis, ſi exiſtat*? A variis auctoribus HELMONTIO, BOERHAAVIO, BOYLEO, HAVPTIO, prae aliis vero Cl. MARGGRAFIO ſalis huius, quod *fuſibile* huic dicitur, vera exiſtentia multis experimentis euincitur. Indoles autem eius ammoniacalis deprehenditur, cuius tamen parti acidae pars volatilis alcalina tam leui nexu adhaeret, vt leniſſimo in igne auolet. Naſci hunc ſalem Cl. MARGGRAFIVS aſſerit, e regno vegetabili, 1mo quod caput mortuum erucae, naſturtii, tritici cet. per retortam validiſſime deſtillatum phoſphorum exhibeat; 2do quod vrina per aeſtatem vberius ſit referta ſale fuſili, quam hyeme, cum ſcilicet tempore verno praecipue vegetantibus veſcamur.

Quartus libellus Auctore CAROLO LE ROI, D.M.M. diebus 21. 22. 23 Iun. propugnatus, 4. pag. 34.

Quaeſtio prima: *an aether nitroſus aequiparari poſſit aetheri vitriolico, et cuiusnam naturae ſit oleum poſt ipſum adſcendens*? Varia adfert de praeparatione, ſub eaque attendendis encheireſibus, et tunc experimenta, cum vtroque inſtituta, recenſet, ex quibus concludit, vtrumque eſſe ſibi aequiparandum.

Quaeſtio ſecunda: *num in animalibus ſint olea varii generis et quibus dotibus diſtinguantur*? Affirmat quaeſtionem et commonſtrat, eadem ratione, vt in vegetabilibus, occurrere triplex in animalibus oleum,

pingue

pingue aliud ſiue vnguinoſum; aliud tenue, fragrans, volatile, aethereum; aliud empyreumaticum: quorum cuiusuis ab oleis vegetabilium differentiam paucis declarat.

Quaeſtio tertia: *quaenam ſit ſublimati corroſiui natura et praeparatio? an mitius fieri poſſit et exhiberi aduerſus morbos venereos?* Varios proceſſus enarrat, quibus parari poſſit ſublimatum corroſiuum, ſimulque ſublimatione opus eſſe in quauis illud parandi methodo ex eo commonſtrat, quod acidum ſalis intactum relinquat mercurium, niſi in paruiſſimos atomos fuerit reſolutus. Mitius reddi poſſe hoc medicamentum ita, vt interne tuto adhiberi multisque morbis obuiam eo iri poſſit, iam BOERHAAVIVS monuit; curatius tamen ab Ill. v. SWIETEN methodus haec definita eſt, quam ſummis laudibus extollit Noſter et experientia multifarie probatam contendit. Subnectit tandem problemata peritiſſimis medicis ſoluenda: an hoc medicamentum vnctionibus mercurialibus antecellat; an etiam in aliis rebellibus morbis eo quid boni praeſtari poſſit; an ſublimatum corroſiuum exigua mercurii viui doſi addita ita temperari poſſit, vt inde medicamentum enaſcatur, quod inter mercurium corroſiuum et dulcem medium ſit, priore longe mitius, altero magis ſolubile, vtrique in certis ſaltem caſibus anteponendum.

Quaeſtio quarta: *an acidum vitriolicum et acidum ſulphuris aut aluminis eadem omnino ſint, et easdem vires medicas poſſideant?* Experimentis chemicis adlatis, obſeruationibusque ex praxi clinica depromtis, affirmat quaeſtionem.

Quaeſtio quinta: *an humorum animalium geneſis eorumque mutationes tum naturales, tum praeternaturales merae ſint alterationes chemicae?* Reſpondet maxima ex parte eas eſſe chemicas, temperari tamen eas, corrigi ac dirigi motibus aſſiduis machinae

artificioſiſſimae, ac propter id ipſum arti eſſe inimitabiles.

Quaeſtio ſexta: *an materiem heterogeneam contineat mercurius et quomodo ab ea diſtingui queat; et an rite depuratus aut cum camphora mixtus ſaliuationem aeque moueat?* Non continere mercurium, iis artificiis, quae Noſter tradit, depuratum, heterogeneam materiem, eumque ſaliuationem mouere aſſerit, quod de camphorato, experientia nixus, negat.

Quaeſtio ſeptima: *an vana ſit chemiatrorum ſpes morborum quoruncunque medicinam vniuerſalem aliquando detegendi?* Galenicum ſe praeſtat et eiusmodi medicinam impoſſibilem eſſe probat.

Quaeſtio octaua: *an ex vitriolo praeparata multa ſalubria comparari poſſint, iuxta* ANGELI SALAE *praecepta?* Recenſet omnia a dicto auctore ex vitriolo elicita medicamina, quibus ſingulis breuem epicripſin addit, et monſtrat, quaeuis eorum omnino eſſe ſalubria, quanquam et varia prorſus inutilia cenſeat.

Quaeſtio nona: *an cuilibet morbo ſpecificum reperiri poſſit remedium?* Sunt morbi, qui ſpecificum remedium requirunt, ii nempe, quorum cauſae materiales liquoribus circumeuntibus inhaerent; ſic lui venereae mercurius; ſcabiei ſulphur externe caute applicatum; ſcorbuto ſuccus limonum et lacticinia ſpecifice oppoſita videntur. Nec tamen inde concludendum Noſter putat omnium morborum eiusmodi ſpecifica exiſtere, cum plurimi eorum tale quid adhuc expectant.

Quaeſtio decima: *an praeſtantiſſima ſint concretionum bilioſarum reſoluentia, ſapo et ſaponacea?* Duplex calculorum bilioſorum curatio, alia in paroxyſmo, alia extra eum ſuſcipienda. Extra paroxysmum, vel eo reſpiciendum, vt bilis attenuetur, eiusque viae liberae reddantur, et hac ratione nouis concretionibus obuiam eatur; vel eo, vt iam

formatae

formatae in cyſtide concretiones aptis medicaminibus reſoluantur. Neutri huic indicationi exacte reſpondent ſapo et ſaponacea, quamuis non omni deſtituantur vtilitate, hinc concludit Noſter, nulla hactenus innotuiſſe medicamenta, quae vera ſint eiusmodi concretionum reſoluentia.

Quaeſtio vndecima: *an ſic dicta ſalia eſſentialia Domini Comitis de la* GARAYE *ſint quid in arte nouum ac vtile?* Extracta potius, quam ſalia dicenda ſunt haec e vegetabilibus triturationis ope parata educta. Nouam aeque hanc praeparandi methodum, et ob machinae mechanismum, et ob euaporationem in vaſis repandis balneo maris aut vaporis praeſtitam, eſſe, nec vtilitate deſtitui, ex eo aſſerit, quoniam partes vegetabilium, ſtomacho moleſtae, per eam ſeparantur.

Quaeſtio duodecima: *quaenam ſit differentia inter varia praecipitata ſulphuris antimonii, et vtrum in eo ſit magna vis aduerſus morbos cutaneos?* Primae praecipitationis ſulphur emeſin mouet, longe mitius eſt illud ſecundae; per tertiam vero ſolummodo diaphoreticum nanciſcimur. Eſt tamen omnibus his magna in morbos cutaneos efficacia.

Quintus libellus Auctore GASPARDO IOANNE RENE, D.M.M. diebus 12. 13. 14 Iulii propugnatus, 4. p. 34.

Quaeſtio prima: *an alcalia tum ſalina, tum terrea conducant in tuſſi conuulſiua et paroxysmis aſthmaticis?* Cum varie differat cauſa affectionum aſthmaticarum, variet quoque therapia earum neceſſe eſt. In ea igitur tuſſis conuulſiuae et paroxysmorum aſthmaticorum ſpecie, quae a fluidorum lentore et viſciditate oritur, ceteris paribus conducere haec medicamina putat.

Quaeſtio ſecunda: *quod nam ſit diſcrimen inter acidum fixum vitrioli et eiusdem acidum volatile ſulphureum*? Differentiam horum acidorum in proceſſus ratione, odore, ſapore, volatilitate et effectu latere affirmat.

Quaeſtio tertia: *an antimonium diaphoreticum ſit puluis fatuus, inſolubilis et nullius virtutis*? Fatuus quamuis ſit hic puluis alcaleſcens, in nullo menſtruo ſolubilis, efficaces tamen vires medicas ipſi in reſoluendo et attenuando tribuit Noſter ex auctoritate STABELII, STAHLII, WEDELII, DEIDIER, GEOFFROI, FIZES, contra mentem WILLISII, HOFMANNI, TRALLESII.

Quaeſtio quarta: *an egregias virtutes medicas poſſideant remedia quaedam chemica, vt terra foliata tartari, ſapo Starckeyanus, oleum animale Dippelii, aether Frobenianus, ſpiritus volatiles aromatici oleoſi Syluii, variaeque tincturae ſolares*? Seorſim examinat quodlibet horum adductorum medicaminum, et ſummae energiae ea eſſe probat.

Quaeſtio quinta: *an ſana de oeconomia animali doctrina abſque ſapientia chemica obtineri valeat*? Putat phyſiologiam poſſe omnino ſine chemia cognoſci, quamuis largiatur, ſcientiam iſtam chemiae ſtudio vlterius illuſtrari.

Quaeſtio ſexta: *an tartarus vitriolatus, ſal de duobus, ſal polychreſtum* GLASERI, *nitrum antimoniatum, ſint compoſita identifica, nec ne?* Affirmat ea cuncta eſſe vnius eiusdemque indolis.

Quaeſtio ſeptima: *de vſu et abuſu deſtillationis et ſimplicis in aere libero decoctionis in medicamentorum praeparatione*? Pauca ſunt, quae hac de re ſummi momenti diſputat, et generaliora tantum continent.

Quaeſtio octaua: *an certo et proficue moueat anacatharſin kermes minerale*? Demonſtrat Cl. Auctor kermes minerale certo ac proficue anacatharſin mouere

mouere, ſiue ſumatur vocabulum in ſenſu HIPPOCRATIS, id eſt, pro purgatione per ſputa, ſiue in ſenſu BLANÇARDI, pro omni purgatione per ſuperiora.

Quaeſtio nona: *an in humoribus animalibus nudum exiſtat acidum?* quanquam a variis iisque celebribus viris NEVMANNO, POTTIO in variis animalium partibus detectum fuerit acidum, Noſter tamen BOERHAVIO ſubſcribit, et ſequentem contendit opinionem: excepto chylo crudo, adhuc nec abſolutam experto concoctionem, alios humores nudum non poſſe continere acidum, cum vi vitae et repetita circulatione immutetur et in verum ſal neutrum abeat, nec ſui indicia praebeat.

Quaeſtio decima: *an alimentorum digeſtio ſit proceſſus chemicus?* Digeſtionis eſſentia in eo conſiſtit, vt mucidarum, ſalinarumque extractio earumque debita praeſtetur permixtio: quod quidem variis inſtrumentis variisque in corpore menſtruis efficiatur, omnino digeſtionem dici poſſe proceſſum chemicum patet.

Quaeſtio vndecima: *an vulgaris analyſis chemica vi ignis peracta, aliquid de ſubſtantiarum animalium natiua indole patefaciat?* Cum pleraque ex corporibus per analyſin chemicam extracta non educta, ſed producta eſſe cenſeat Cl. Auctor, negando ad quaeſtionem reſpondet.

Quaeſtio duodecima: *an cauſtica in corpus animale operentur vi propria chemica, et abſque vllo motus vitalis concurſu?* Nil cauſtica, nec potentialia, nec actualia agunt per vim chemicam, ſed quos praeſtant effectus, eos a ſola vi vitae dependere Noſter paucis declarat.

VI.

An Account of a particular Kind of Rupture, frequently attendant upon new-born Childern; and ſometimes met with in Adults; viz. That in which the Inteſtine, or Omentum, is found in the ſame Cavity, and in contact with the Teſticle. By PERCIVALL POTT, Surgeon to St. Bartholomew's Hoſpital. London, printed for C. Hitch and L. Hawes. 1757. 8 mai. pag. 41.

h. e.

Commentatio de ſingulari herniae ſpecie, ſacpius in infantibus recens natis, interdum tamen in adultis quoque obſeruata, illa ſcilicet, in qua inteſtina vel omentum in eadem cauitate et in immediato contactu cum teſticulo inueniuntur. Auctore PERCIVALL POTT, cet.

p. 1. In herniotomia ſuſcepta portio inteſtini vel omenti ex abdomine deſcendens interdum in eadem cauitate et in vicinia teſticuli nudi deprehenſa fuit; quo in caſu nonnulli recentiores rupturam veram ſeu dilacerationem productionis peritonaei ſeu ſacci hernioſi aſſumere non dubitarunt. Vera hernia partes, ex abdomine per annulum obliqui externi muſculi deſcendentes, in ſacco quodam, per peritonaeum expanſum formato, continet, quod quidem vix rumpi poteſt, cum extendendo craſſius reddatur. Spermatica vaſa poſt hunc ſaccum hernioſum deſcendunt, et tunc cauum, in quo teſticulus incluſus eſt, nullo modo cum ſacco hernioſo communicat. In multis obſeruationibus a Cl. Auctore

Auctore collectis, ſupra allegata ruptura ſacci hernioſi, per quam contenta herniae in contactum teſticuli deferri dicuntur, efficta reperta fuit. His itaque in ſectione prima breuiter annotatis in ſecunda de teſticuli deſcenſu in ſcrotum, vti ille in infantibus recens natis ſuccedit, curatius exponit, quo poſtea in ſectione tertia et quarta ſingularem herniae ſpeciem, quam deſcribendam ſibi ſumit, melius definire queat.

Infantum teſticuli in abdominali cauitate formantur et reponuntur, non quidem in ipſo peritonaeo, ſed poſt illud, illi vero proxime ante partum, vel poſt eum in inguinalem regionem et tandem in ſcrotum deſcendunt, laxe ibi membranis adhaerent, et a vaſis ſpermaticis tanquam pedunculo dependent. Haec poſt peritonaeum in contextu cellulari deferuntur, teſticulus vero muſculo pſoas, e regione ſuperioris partis veſicae vrinariae, per vrachum eleuatae, incumbit. Epididymis poſt teſticulum poſita inferiore ſua parte in orificium quoddam ſe inſinuat, quod, teſticulo non nihil remoto et tracta epididymide, conſpicitur. Hoc ſpecillum admittit, quod per aperturam muſculi obliqui externi in inguinalem regionem et ibi in ſacculum quendam ducit, qui vera continuatio peritonaci muſculos abdominales inueſtientis eſt. Ea epididymidis pars, quae in orificium nunc declarati ſacculi intrat, ibi adhaeret nec ſurſum duci poteſt, teſticulus autem, in cauitate abdominis contentus, nudus eſt, et vel mox ante partum in ſacculum deſcriptum intrat, vel per reſpirationem incipientem mox poſt partum eo deprimitur. Sacculus eſt cauum ad recipiendum teſticulum formatum, et parum refert an pars primigenia ſit, an vera peritonaei productione formetur, cum in vtroque caſu tamen uictum ſit, teſticulum in abdomine nudum, poſt progreſſum per annulum in hoc inuolucro latere.

p. 7.

p. 11.

p. 18. Hoc autem cauum, teſticulum in regione inguinali ſuſcipiens, oblongum et cellulari contextu cinctum conſpicitur, orificium ſacculi tunc cum cauo abdominis communicat, poſtquam vero teſticulus in ſcrotum deſcendit, ſacculus figuram pyriformem ſiſtit, adhuc tamen orificium communicans oſtendit, ita vt hoc in infantibus recens natis conſpici et ſpecillo et fluido immiſſo diſquiri poſſit, et ita veram continuationem ſacculi cum peritonaeo declaret. Poſtquam teſticulus in ſcrotum tranſiit, vel ob eius pondus, vel ob ſtricturam muſculorum abdominalium, vel aliam ob cauſam orificium ſacculi conſtringitur et obliteratur, tempus autem huius mutationis definiri vix poteſt, cum ſaepe mox poſt deſcenſum teſticuli in ſcrotum orificium clauſum inueniatur, interdum id ſerius et, vt Noſter obſeruauit, quarto poſt natiuitatem anno demum eueniat. Id tamen ex nunc deſcriptis liquet, tunicam teſticuli vaginalem, eſſe partem peritonaei, tunicam autem vaginalem, chordam vaſorum ſpermaticorum inuoluentem, eſſe continuationem contextus celluloſi poſt peritonaeum deductam.

p. 23. Nunc herniam, de qua agitur, eiusque geneſin ex hac diſpoſitione nata in ſectione tertia deſcribit Cl. Auctor. Niſi enim mox poſt deſcenſum teſticuli in ſcrotum orificium ſupra deſcriptum claudatur, pars inteſtini vel omenti verſus hoc orificium premere et in eandem cauitatem, in qua teſticulus haeret, penetrare eamque diſtendere valet. Haec itaque herniae ſpecies vtplurimum in prima infantia naſcitur, et, niſi deſcendentes partes in abdomen reprimantur, et orificium compreſſum obliteretur ad adultam certe aetatem protrahi poteſt.

p. 28. In ſectione quarta nonnulla exempla, quibus hoc aſſertum declaratur, exponuntur. In viro robuſto viginti quinque annorum, in cuius dextro latere nec ſcrotum, nec teſticulus apparebat, tumor inguinalis conſpi-

conſpiciebatur, cum ſignis herniae incarceratae ita auctis, vt variis remediis fruſtra tentatis inciſio ſuſcipienda eſſet; hac facta ſaccus hernioſus detegebatur, qui apertus ſerum ſanguinolentum, partem omenti et inteſtini et teſticulum nudum continebat. Tumor itaque inguinalis a prima infantia praeſens et neglectus erat, teſticulus cum adhaerente epididymide in proprio ſacculo contentus occaſionem dederat, quo poſtea omenti et inteſtini portio in eum penetraret, et ſine formatione noui ſacci hernioſi, incarceratam herniam ſiſteret. In alio viro triginta quinque annorum hernia ſimili modo incarcerata inueniebatur, teſticulo nudo in ipſo annulo muſculi obliqui externi haerente, ſaccum itaque ſupra deſcriptum, ad quem in prima infantia non penetrare potuerat teſticulus, omenti et inteſtini pars, praeter naturam occupauerant. Ex hac ipſa re tumores inguinales infantum flatulenti vel aquoſi ſubito apparentes et ſubito ſaepius diſparentes declarari poterunt, ſimul quoque ratio datur, cur infantes in prima aetate herniis inguinalibus laborantes maſculi ſint.

Recueil des Pieces, qui ont concouru pour le Prix de l'Académie Royale de Chirurgie. Tome III. à Paris, chez P. Al. Prieur, 1759. 4. m. Alph. 3. pl. 9.

h. e.

Collectio diſſertationum, quibus de praemio, in academia regia chirurgiae obtinendo, concertatum fuit. Tom. III etc.

In tertio hoc tomo, cuius ſummam exhibemus, quaeſtiones ab anno huius ſaeculi quadrageſimo nono ad quinquageſimum ſeptimum vſque propoſitae explicantur.

Quaeſtio, quae anno 1749 characterem tumorum ſcrophuloſorum eorumque ſpecies, ſigna et curationem definienda propoſuerat, anno ſequenti praemium non reportauit, ſed ad annum 1752 translata fuit.

p. 3. Quaeſtionem anno 1750 propoſitam declarauit Cl. GOVRSAVD, praemiumque anno ſequenti obtinuit. Verſatur autem illa in eo, vt definiatur, *quid ſit metaſtaſis, quibusnam morbis chirurgicis ea contingat, quosue eadem producat, in quibusnam caſibus ea vitanda inque quibus eadem procuranda ſit, tandem quae ſint ſubſidia, quae in hoc vel illo caſu adhibenda veniant.* Metaſtaſis locum tantum in morbis, a fluidorum vitio ortis, inuenit et eſt tranſitus humoris morbifici ex parte in aliam. Si apoſtemati ea ſuperueniat, vocatur deliteſcentia, ſique vulneribus et vlceribus ea contingat, refluxus et reſorptio nominatur. Deliteſcentia, quae aeque ac reſolutio inflammationi et apoſtemati familiaris eſt, ab hac differt. Haec enim eſt diſſipatio inſenſibilis materiae, apoſtema formantis, illa vero eſt ſubitus materiae in vias circulationis regreſſus. Quod ad materiem purulentam attinet, ea vel adhuc in vaſis latitat nec manifeſta eſt, vel in ipſo vulnere aut vlcere conſpicitur tuncque proprie pus vocatur. In priori caſu, ſi ſuppuratio expectanda ſe haud quaquam manifeſtat et materies, pus alias conſtituens, in circulatoria vaſa regreditur, mutatio haec refluxus nuncupatur. Sin vero pus in vulneribus iam praeſens imminuitur et regreditur, ita, vt vulnus ſiccum appareat, mutatio iſta reſorptio vocatur. In tribus hiſce caſibus, deliteſcentia nimirum, refluxu et reſorptione materies vaſa circulatoria intrat, ſed datur etiam caſus, oppido rarus, vbi humor non vaſa circulatoria ſubit, ſed in textum celluloſum gliſcit, tuncqu : haec mutatio translatio appellatur.

Morbi

Morbi, qui metaſtaſi obnoxii deprehenduntur, p. 10.
ſunt herpes habitualis, ſcabies, variolae, podagra, rheumatiſmi, lochia, lac puerperarum primis poſt partum diebus, gonorrhoea, vulnera et vlcera, bubones venerei et peſtilentiales, materies critica, in partem quamdam depoſita, omnesque tumores humorales.

Morbi, qui a metaſtaſi oriuntur, varii ſunt, prout pars eſt, in qua humor deponitur. Ita v. g. humor herpetis aut ſcabiei regreſſus in pulmonibus peripneumoniam vel haemoptyſin, in hepate infarctus inque alio viſcere alios affectus producit. Humor varioloſus in pulmones depoſitus difficultatem ſpirandi et infarctus vna cum ſanguinis ſputo; in hepate inflammationem, inque capite deliria aliaque lethalia ſymptomata gignit. Verum haecce ſymptomata non a reſorptione puris, ſed ab humore varioloſo, haud legitime a liquorum maſſa ſecreto, dependent. Pari etiam ratione humor podagricus, eryſipelaceus, lochia, lac, gonorrhoea etc. retropreſſa multa ac diuerſa, imo haud raro periculoſa inducunt ſymptomata.

Vitanda eſt metaſtaſis in ſcabie, lepra habituali, p. 14.
gonorrhoea, vlceribus ſordidis, materie critica ad partem depoſita, gangraenoſa dein et peſtilentiali, variolis, lochiis, podagra, exterius ſedem figente, eryſipelate maligno, haemorrhoidibus etc. Aſt in angina ſuffocante, inflammationibus internis, materie interius depoſita, exoſtoſi, podagra, viſcus aut partem quandam internam infeſtante aut vaga, deinceps in rheumatismis, internas partes occupantibus, gonorrhoea, oculos aut alium locum infeſtante, inflammationibus oculorum contumacibus, bubonibus venereis et in genere in omnibus inflammationibus bonae indolis metaſtaſis procuranda eſt. Humoris vero morbifici ſubtilitas, vulnerum quorundam diſpoſitio, aegroti conſtitutio, vitia

humo-

humorum, animi pathemata, regimen male obſeruatum, aer, purgantia ſiniſtre exhibita, repercutientia, adſtringentia, et corroſiua, deligatio non debite applicata, febris, vomitus criticique humores interne depoſiti metaſtaſeos plerumque ſuppeditant cauſas.

p. 18. Subſidia, quibus metaſtaſis praecaueatur, ſequentia habebis. Si ad facilem reſorptionem humor aptus eſt, cataplaſmata maturantia tumoribus, balſamica autem remedia vulneribus applicentur. Criticorum et malignorum tumorum coctio non expectetur, ſed quantocyus ei aperiantur. Cauſtici lapides, cum figant materiem, cultello anteponantur, ſique vita in parte abeſt, actuale cauterium in vſum vocetur. Si ſuppuratio in vulnere lente procedit, digeſtiua irritantia linteaque, calido vino aut aromatico imbuta proſunt. Gracilibus et debilibus iuſcula, oryzae cremor, interdum lac et, ſi febris abeſt, pauxillum vini propinetur. Cacochymicorum aluus reſinoſis identidem ſubducatur talesque potus exhibeantur, qui humores moueant. Praeterea animi vitentur pathemata, diaeta accurata ſeruetur et aer temperatus procuretur. Corroſiua nec vulneribus dolentibus, nec partibus, vbi plures decurrunt nerui, applicentur. In gonorrhea, podagra, rheumatiſmis, ſcabie, tumoribus criticis etc. adſtringentium et repercutientium vſus plane nullus eſt. In vulneribus pure abundantibus non concedatur mora. Sinus aperiantur vel, ſi iſtud fieri nequit, faſciae expellentes applicentur et partes ita diſponantur, vt quouis modo exitus puris promoueatur. Sit demum deligatio expedita et mollis, nec vero faſcia adeo ſtricta.

p. 19. In excitanda metaſtaſi ſequentia notanda ſunt. In podagra, caput petente, balnea pedum calida et venaeſectio in pede proſunt. Si pectus, ventriculus, diaphragma etc. infeſtantur, venaeſectio in-

brachio

brachio conducit, hacque incaſſum tentata ſinapiſmi, veſicatoria et interdum vrticationes in pedibus vſurpatae iuuant. Si gonorrhoea retropreſſa oculos inuadit, venaeſectio in brachio prodeſt, nunquam tamen ea repetenda, cum reditus alias impediatur. Praeterea ſerum lactis, aqua ſeminum lini, balnea, frictiones mercuriales multum proſunt; ſique ſuppreſſio ab iniectione adſtringente, aqua ſeminum lini aut lac iniectum prodeſt. Ophthalmiae inueteratae, ſi a vitio generali dependent, diluentia, diuretica, purgantia lenia, ſudorifera, vel incaſſum his tentatis, cauteria et ſetacea requirunt. Inflammationes viſcerum partiumque internarum, a ſuppreſſione euacuationis cuiusdam ortae, praeter venaeſectiones et diluentia interdum veſicatoria, interdum cauteria, ſetacea, hirudines vel alia remedia poſtulant. Tumores externi venaeſectione, repercutientibus, adſtringentibus, purgantibus etc. diſſipantur. In bubonibus venereis reſolutio nec ſuppuratio excitanda et frictiones mercuriales applicandae ſunt. Exoſtoſes reſolutionem requirunt, ſique a labe venerea mercurialia interne et externe vſurpata conducunt; ſi vero ab alia cauſa v. g. materie ſcrophuloſa, aperientia et reſoluentia proſunt. Si ſuppuratio in vulnere deeſt, relaxantia, ſi inflammatio adeſt, venaeſectio, diaeta et topica anodyna curationem abſoluunt. Si a malo regimine metaſtaſis, diaeta et purgantia praeſtant. Tandem ſi heterogeneus humor, inflammatione aut morbo quodam generatus, vaſa intrat, potus aperientes, diuretici, diaphoretici et purgantia, caute vſurpata, proſunt.

Quaeſtio, quae anno 1749. *characterem, ſpecies* p. 22.
et curationem tumorum ſcrophuloſorum definienda propoſuit, nec praemium reportauerat, ad annum 1751 translata fuit. Sex itaque hac de re Academia

obtinuit

obtinuit diſſertationes et, licet nullus auctorum omni ex parte expectationi ſatisfecerit, praemium tamen Viris Cll. FAVNE et BORDEV *filio* adiudicauit. Prior quaeſtionem ita exponit. Struma figura, colore ipſiusque aegroti facie, ſingulariter conſtituta cognoſcitur. Raro ea ante quartum aut quintum, ſaepe verſus ſeptimum et octauum, nunquam vero poſt pubertatis aut vigeſimum annum apparet, vel ſi demum oritur, euaneſcit aut ad minimum valde imminuitur; quo etiam tempore inueteratae in ſcirrhum mutari ſolent. Indolens praeterea tumor eſt, ſique abſceſſus ſcrophuloſus aperiritur, materiem iſte grumoſam exhibet. Signa ſtrumarum praenuncia ſunt intumeſcentia labii
p. 32. ſuperioris aut ophthalmia. Cauſae vero ſtrumarum in laxitate et debilitate ſolidorum, ex altera vero parte, in abundantia liquorum craſſorum, inprimis in viſciditate lymphae nutrientis conſiſtit, hinc infantes, cum viſcidum in iis abundet, ſtrumis prae aliis obnoxii ſunt. Strumae vel internae, vel externae ſunt: illae meſenterium occupant, in pulmonibus tubercula, aſthmate, ſuppuratione et phthiſi ſtipata, formant, inque cerebro epilepſiam, vertiginem, paralyſin, apoplexiam etc. producunt. Externae in omnibus partibus corporis glandulofis inprimis in collo, ſub axillis, in inguinibus etc. conſpicuae ſunt.

Curatio in eo conſiſtit, vt remedium exhibea-
p. 39. tur, quod viſciditatem humorum tollat et ad fomitem vſque mali pertingat, quodque, ſi exterius vſurpetur, absque irritatione ſe inſinuet, viſcidamque lympham diluat et reſoluat. Tale remedium Noſter ſe inueniſſe vſuque comprobatum habere putat, ita tamen, vt puritatis inſimul, victus regiminisque ratio, ſi effectum edere debeat, habeatur omnino. Formulae praeſcriptio haec eſt: Recipiantur ſaponis alicantici grana quindecim aut drachma

drachma vna; pulueris ſpongiarum combuſtarum et calcinatarum grana decem aut drachma ſemis; pulueris vtriusque ſcrophulariae, limaturae martis ana grana ſex vel ſcrupulus vnus. Cuncta cum ſufficiente quantitate ſyrupi de quinque radicibus aperientibus miſceantur et in formam boli redigantur. Praeterea aqua calcis viuae, aqua fontana, in qua pugillus ſummitatum roriſmarini decoctus fuit, parata pro potu ordinario propinanda, purgantium vſus frequens vitandus aluusque manna tantum aut confectione Hamech ducenda eſt. Quod ad remedia exterius applicanda attinet, variant ea, prout tumor apertus, vel absque ſolutione continui eſſe ſolet. In poſteriori caſu linimentum, ex ſapone communi, in lixiuio calcis viuae ſoluto, paratum prodeſt, inprimis ſi pars calide admodum foueatur. In priori vero caſu ſi tumor apertus eſt, fomentationes, ſaepius de die vſurpatae, et faſcia, ſapone ſoluto adiectisque cineribus ſarmentorum recentibus imbuta conducunt. Exſtirpatio nihil iuuat; praeſeruatio autem in diaeta et regimine conſiſtit: conducit etiam, ſi ſaepe ſapo alicanticus aut alius et aqua calcis viuae pro potu ordinario ſumatur panique puluis roriſmarini, aniſi, croci, foeniculi etc. admiſcentur. Linteorum denique, veſtimentorum et aeris puritatem, nec non motum et laborem a morbo hoc quam maxime praecauere, Noſter omni iure monet.

Eandem hanc quaeſtionem declarauit Cl. BORDEV. Diſſertatio haec multis obſeruationibus nititur, quibus, ceu optimo fundamento ſcrophularum theoria, minime imaginaria, ſuperſtruitur. Si ad aegrotos attendamus, hos ipſos vt plurimum infantes eſſe, animaduertimus. Ii enim, cum ſanguis maximam partem ſuccorum excrementitiorum ad caput vehat, morbis ea propter capitis, faciei atque p. 43.

colli

colli maxime obnoxii ſunt. Quid? quod ipſe ſolidorum et fluidorum in infantibus ſtatus morbo huic producendo quam maxime fauet. Glandulae praeterea in infantibus multo molliores minusque elaſticae, actioque earum multo minor, quam in adulto generationi huius morbi non obſunt. Quod ad fluida ſpectat, ea in infantibus minus elaſtica magisque viſcida ſunt, quam in adultis, cumque etiam minus bilioſa ſint, fit inde, vt motus ſpontaneos ſubeant et acida euadant.

p. 53. Qui flumina et montes accolunt, quiue prauis alimentis veſcuntur, ſcrophulis prae aliis obnoxii ſunt; inde ruſticis magis, quam iis, qui in vrbe degunt, morbus iſte familiaris eſt. Sed nec mirum, cur ii, qui ad montes habitant, ſcrophuloſi deprehendantur, ſiquidem aqua, aer et alimenta corpora eorundem ad ſuſcipiendum iſtum morbum aptiſſima reddunt. Quod enim ad aquam ſpectat, iſta ex receptaculis, niue et glacie plenis proueniens, parte puriori, tenuiori et leniſſima orbata eſt. Viciſſitudo dein aeris maiorque in eo acidi copia, tandem alimenta viſcida et fermentationis principiis plena efficiunt, vt acida in humoribus oriatur acrimonia, ſeu ad ſcrophulas inducatur diſpoſitio. Ex his itaque cauſam huius morbi in viſciditate humorum eorumque acrimonia acida quaerendam ideoque curationem hiſce cauſis accommodandam eſſe, colligendum eſt.

Ante omnia primarum viarum ratio habenda et vomitoria, inprimis Ipecacuanha exhibenda ſunt. Iis enim ethac praeſertim radice, viſciditas in primis viis quam maxime inciditur et euacuatur. Haec etiam emetica nimirum purgantibus praeſtant. Licet enim primas vias moueant, ea tamen humores tantum mobiles euacuant, niſi fortiora et ſtimu-

ſtimulantia, vt ſennam et ialappam exhibueris, quae tamen, ob dolores, quos ſaepe excitant, omittantur, licet dolor hic ceu ſtimulus ſalutaris aſtimari debeat. Poſt haec abſorbentia terrea propinanda ſunt; hiſce enim acidum temperatur, aluus ob coniunctionem acidi cum terreo non raro mouetur inſimulque actio ventriculi et inteſtinorum reſtituitur aut excitatur. Praeterea plantae amarae, vt fumaria, chamaedris et ſcolopendrium, inertiam bilis corrigendo, inprimis autem cortex peruuianus, nec non plantae antiſcorbuticae alcalinae, vt naſturtium et cochlearia maximi hic vſus eſſe ſolent. Hiſce enim remediis viſciditas tollitur, acidum temperatur, bilis corrigitur, tonusque canalis alimentorum reſtituitur ſicque diſpoſitio humorum ad corruptionem ſpontaneam apta vincitur.

Lac et ſerum lactis, licet ad compeſcenda quae- p. 80.
dam ſymptomata aliquid praeſtare videantur, in curatione tamen nihil praeſtant et, cum facile aceſcant et viſciditatem adaugeant, cauſam morbi potius pertinaciorem reddunt. Aſt aquae minerales et tales quidem, quae partibus ſaponaceis oleoſis, ſulphureis ſalibusque neutris, marino, vitriolico aut Ebshamenſi ſimilibus donantur, interne et in balneo vſurpatae, proſunt. Maximi autem vſus eaedem eſſe ſolent, ſi exterius inſimul frictiones mercuriales applicentur; ex harum enim illarumue connubio cauſa morbi ita oppugnatur, vt materies fundatur, moueatur atque lenis laudabilisque ſuppuratio excitetur.

Quod ad victum pertinet, farinacea bene fer- p. 87.
mentata et iuſcula carnium tenuia, interdum braſſicam, caſtaneas et paſſulas maiores profuiſſe, Noſter expertus confirmat. Tandem etiam aeris mutatio eiusmodi aegrotantibus ſuadenda eſt. In primis aer montanus iis conducit, qui in vrbibus degunt; qui vero ad montium radices habitant, his

non aeque loci montani mutatio cum vrbibus ſuſcipienda eſt. Conuenit quidem loci mutatio, ita tamen, vt ex valle in vallem migrent ſicque hac mutatione ſanitati proſpiciant. Triplex praeterea ſtrumarum ſtatus, diſpoſitio nimirum corporis, euolutio earum et ἀκμή, aetas deinde et ſexus aegrotantium, morbi duratio aliaque demum, quae hanc vel illam curationem ſuadeant aut diſſuadeant et caſus in ſpecie determinent, attendenda omnino veniunt. Ex his cauteria interdum maxime proficua et cultello ſemper praeferenda, atque matrimonium iunioribus, morbo hoc correptis, vtile, illis vero, qui ſtrumis diu iam laborant, minime proficuum eſſe, annotamus.

p. 142. Eandem hanc quaeſtionem explicandam ſibi ſumſit Cl. CHARMETTON. Struma a Noſtro vt vitium lymphae conſideratur, quod interius et exterius in diuerſis partibus vario modo et vt plurimum glandularum conglobatarum infarctu ſe manifeſtat, quippe quae modo, ſenſus haud incurrente intumeſcunt, vt plurimum doloris expertes ſunt et de reliquo duritiem, renitentiam aliaque ſigna ſcirrhi habent. Cauſa ſtrumarum in coagulatione lymphae conſiſtit, quae vero ab atonia vaſculorum et quantitate humorum aucta vel imminuta nec non etiam plethora vera et ſpuria prouenit. Quod ad externas cauſas attinet, aer frigidus, craſſus, paludoſus et particulis virulentis repletus, nec non alimenta in magna quantitate aut valde parua aſſumta, victusque craſſus, glutinoſus, per ſe quidem non acidus, ſed euolutioni acidi ſpontanei fauens, multo magis autem acidus, aqua demum particulis duris, ſalinis, auſteris, craſſis, impuris ponderoſisue ſcatens prae aliis huc pertinent.

Strumae vel benignae, vel malignae ſunt. Illae p. 158.
adſunt, ſi ſuperficiariae, aequales, mediocriter durae, mobiles fluctuantes, non inflammatoriae et indolentes ſunt; ſi deinde ſenſim paulatimque formantur, ſi porro progreſſus earum non adeo ſubitus eſt, ſique demum ſponte in ſuppurationem abeunt vlcusque inde ortum absque difficultate coit. Malignae vero vocantur, quae durae, inaequales, profundae ſunt et adhaerent, quae dein multiplicantur et paruo temporis ſpatio augentur; quae porro glandulas conglomeratas atque partes membranoſas et tendinoſas inuadunt, quae dolore et inflammatione plus minus inſigni ſtipatae ſunt, quae materiem tam deprauatam et acrem habent, vt textus partium mollium vel durarum deſtruatur; quae in vlcera plus minus maligna abeunt, de quibus ſanioſa materies manat et quae fiſtulis et carie ſtipantur, quorum margo calloſus, contortus et dolens eſt, quaeque demum characterem vlceris cancroſi habent.

Tumores hi pro partium diuerſitate, quas oc- p. 159.
cupant, varia nomina accipiunt: e. g. ſi in tendinibus reſident, ganglia, ſi in ligamentis tophi, in perioſteo nodi, in oſſibus exoſtoſes etc. vocantur. Variat etiam nomen pro diuerſitate materiae; ita p. 160.
ſteatoma, atheroma etc. audit. Quod ad materiem, p. 165.
in his tumoribus contentam, attinet, ea pro varietate acrimoniae ſalinae varia eſſe ſolet. Ita fluiditas atque color flaueſcens et rubeſcens oſtendit, olea alcalinis ſalibus attenuata et ſoluta eſſe; conſiſtentia media et color albus, vt in atheromate, acidi praeſentiam manifeſtant; dura tandem materies ſebacea et adipi ſimilis, vt in ſteatomate, olea viſcoſa et, ob acidi eminentiam, craſſa deſignat. Ex his itaque aliisque perpendendis phaenomenis coniicere licet, in his tumoribus, inprimis malignis, ſales acidos magis, quam alcalinos, dominari. Praeterea tumores

iſti per contagium communicantur, vel haereditarii a parentibus in infantes transferuntur, vel tandem acquiſiti ſunt, qui vltimi, vel absque vllo morbo praegreſſo producti, primitiui dicuntur vel morbis quibusdam ſuccedunt et conſecutiui nominantur.

p. 180. Tumores ſcrophuloſi ſenſim ſenſimque generantur, diu in ſtatu ſuo manent et incurabiles perſaepe fiunt, interdum autem reſoluuntur aut in ſuppurationem abeunt, aut indurantur, aut morte terminantur aut demum deliteſcunt. Reſolutio admodum difficilis eſt; ſedes enim eorum aeque ac frigiditas et durities, nec non aegrotantium laxa plerumque et phlegmatica conſtitutio, cacochymia ſeu vitium, humoribus iam inhaerens et ad gignendos infarctus nouos aptum, impedimenta ſiſtunt; quae cuncta etiam ſuppurationem tardam et difficilem reddunt. Licet autem tumores, in externis partibus ſiti, optime interdum ſuppurent, plerumque tamen ſuppuratio tumorum ſcrophuloſorum maligna et triplex eſſe ſolet. 1) Tumores reperiuntur, in quibus ſuppuratio motu ſpontaneo, acrimoniam et putredinem materiae, tumores conſtituentis, indicante excitatur. Tales tumores ſunt, qui glandulas, circa aponeuroſes, pectus, caput etc. infeſtant. 2) Dantur tumores, in quibus materies purulenta plus minusue ſuperficialis formatur, quorum baſis imperfecte ſuppurat et dura atque renitens manet. Atque hic tumorum exitus non infrequens eſt, ſiue infarctus glandulas, ſiue partes carnoſas, aut tendinoſas, metacarpum, metatarſum, articulationes etc. infeſtent. 3) Tandem tumores ſunt, qui nec reſoluuntur, nec ſuppurant, ſed, ſi ſponte ſe aperiant, ſerum acre fundunt et margines duros, craſſos et inuerſos habent, ideoque indolem cancroſam manifeſtant Hoc autem modo tumores ſcrophuloſi emunctoriorum, articulationum, partium, ad tendines iacentium, genarum, poſterioris partis ſurae

furae etc. terminantur. Saepe etiam tumores ſcro- p. 190.
phuloſi indurantur, ſi quando nimirum lympha craſſa in glandulis et iuncturis congeratur, aut repercutientia et reſoluentia male applicentur. Vaſa enim iſtarum partium debilia ſunt, motus autem eorum aut actio admodum lenta, ita, vt alia iſtorum remediorum vel ſolida criſpent ideoque motum humoris infarcti imminuant vel alia fluidiſſimam tenuiſmamque materiae partem diſſipent.

Moriuntur partes, ſi actio ſolidorum et motus p. 192.
fluidorum, quae in partibus, vbi tumores iſti haerent, diſtribuuntur, deſtruitur vel aboletur isque exitus tumorum ſcrophuloſorum *mortificatio* a Noſtro vocatur inque ſiccam et humidam diuiditur. Illa producitur, ſi ſanguis deeſt, aut vitia quaedam liquoribus qualitatem nutrientem adimunt, vel et ſolidorum tonus debilis eſt et deficit. Haec vero a copioſis liquoribus in parte haerentibus prouenit. Hicce tumorum exitus nunquam bonus eſſe ſolet, ſiquidem inſignes dilacerationes et cicatrices diffformes ſequuntur aut, ſi vlcera inde orta conſolidata fuerint, materies deponitur, quae rebellis, ſub cicatricibus formata, morbum denuo producit. Si tandem tumores ſcrophuloſi ſubito diſpareant, per deliteſcentiam eos terminari, Noſter dicit. Sed raro id accidit, et ſi eſt, magna omnino requiritur attentio, ſiquidem humor iſte vitiatus, per corpus nunc oberrans, vel partes interiores infeſtare, vimque in eas exercere, vel exteriores partes aggredi atque noxia, forte non compeſcenda, ſymptomata excitare poteſt.

Ante omnia autem ſtudendum eſt, quomodo p. 200.
tumores ſcrophuloſi cognoſci et ab aliis tumoribus dignoſci queant. Saepe enim cum tumoribus catarrhoſis confunduntur, qui tamen ab illis in eo differunt, quod molles et leuiter ſenſiles ſint atque facile reſoluantur. Complicantur etiam cum aliis

 morbis,

morbis, qui vero ſuis etiam ſignis ſe produnt. Itaque ad vitam aegrotantis, ante actam, ſedulo attendendum eſt. Si enim aegrotans victu duro, viſcido, acido et farinaceo veſcatur, ſi tenera aetate lac ex mammis foeminae, tunc temporis grauidae ſuxerit haecque cacochymica fuerit, aut vitio quodam ſingulari laborauerit, ſi talis in regione, vbi morbus iſte regnat, natus aut diu ibi commoratus fuerit, ſi vna cum ſcrophuloſis vnum locum inhabitarit, aut iſti homines, quibuſcum degit, morbo quodam venereo, ſcrophuloſo aut ſcorbutico laborauerint, tuncque infarctus ſcirrhoſi glandularum in collo, ſub axillis, inque inguinibus conſpiciantur, certa quodammodo tumorum ſcrophuloſorum habetur diagnoſis.

p. 207. Quod ad prognoſin pertinet, tumores ſcrophuloſi recentes, aut qui diu benigni fuerunt, nec multiplicantur, inprimis ſi aegrotans iuuenis et boni temperamenti eſt, locum forte habet curatio. Maligni autem tumores, inflammati et exulcerati mala praenunciant aeque ac illi, qui infantes aut ſenes infeſtant. Imo variat tumorum exitus, prout aegrotantis conſtitutio cacochymica et temperamenta variant.

p. 210. Quod ad curationem ſpectat, inter alia, quae hic traduntur, millepedes, ſerum lactis chalybeatum et mercurium violaceum commemoramus. Millepedes recentes ſiccatis praeſtant, ſique puluis requiritur, recentes a ſordibus purgandi, hisque poſtea vinum album adfundendum, hocque ſenſim ad ſiccitatem euaporato reſiduum in puluerem redigendum eſt. Puluis hic cum martialibus et purgantibus miſceri poteſt. Serum lactis chalybeatum fit, ſi vel claui ferrei candentes in ſero lactis exſtinguuntur, vel ſi nodulus limaturae martis aut chalybis cum eo coquatur. Tandem mercurius violaceus ex aethiope minerali, in igne praeparato, et aequali portione

portione ſalis ammoniaci paratur et ſublimatur. Praeter haec innumera alia tam interne, quam externe vſurpanda remedia commemorantur, quae autem ſilentio praeterire liceat.

Hanc quoque quaeſtionem exponendam ſibi ſumſit Cl. GOVRSAND. P. 288. Cum plura et eadem fere a Noſtro dicta hic ſint, quae in antecedentibus iam annotauimus, ea repetere nolumus, pauca tamen annotantes. In cauſas Noſter inquirens illis aduerſatur, qui morbum hunc a vitio quodam aut miasmate venereo deducunt. Nec etiam morbum iſtum contagioſum eſſe, experientia probat. Inter remedia, interne exhibenda, mercurium dulcem et aethiopem mineralem commendat, frictiones vero mercuriales, niſi cum vitio quodam venereo complicatus ſit morbus, reiicit. Infantibus praeterea, hocce morbo affectis, medicinam minime faciendam, ſed annos potius pubertatis expectandos, tumque, ſi non ceſſarint, remedia exhibenda eſſe, praecipit. Quod ad externa remedia pertinet, inter alia etiam cauteria actualia et ligaturas non raro opem ferre, arbitratur.

Hanc quaſtionem etiam expoſuit Cl. MAIAVLT. P. 311. Sub nomine tumorum ſcrophuloſorum non ſolum ſtrumas, ſed alios etiam tumores aliaque tubercula comprehendit Noſter atque primo quidem tumores hos a ſuccis lymphaticis generari, glandulas conglobatas ſedem huius morbi primariam ſuppeditare, neque tamen alias partes, cum et adipoſos ſuccos vitium iſtud tangat, ab hoc tumorum genere immunes eſſe, oſtendit. Iſtos porro ſuccos, qui ſcrophulas forment, craſſeſcere poſſe, variasque concretiones formare, duritiem autem horum tumorum, cum materies, dictos tumores formans, mox pultis, mox gypſi formam induat, a duritie

ſcirrhoſorum tumorum differre, demonſtrat. Partem praeterea ſuccorum, tumores formantium, fixam et craſſam, digeſtionem in hoc morbo vitiatam hincque chylum male elaboratum eſſe, ſuccos dein chyloſos, actioni vaſorum organicae minime ſubiectos, tenacitatem humorum producere, ſuccosque, cum difficulter putreſcant, contra vero acidae ſeu rancidae acrimoniae obnoxii ſint, gelatinoſos proinde in hoc morbo dominari inſimulque adipoſos ſuccos, cum inter hos et gelatinoſos, nec non etiam chylum analogia quaedam ſit, in formandis his tumoribus concurrere, Noſter declarat.

p. 325. In curatione horum tumorum venaeſectionem primo, plus minus reiteratam, poſthac purgantia leniora, quae fortioribus et emeticis praeſtant, tandem aperientia et alcalia ſuadet, praecipue autem reſoluentia, in primis antimonialia et mercurialia cum abſorbentibus mixta laudat, tumque topica inſimul, vt fomentationes, embrocationes etc. applicari iubet, ita tamen, vt in vſu eorum temporis illiusque, quod morbum comitatur, ratio habeatur omnino.

p. 336. Tandem et haec quaeſtio ab Auctore quodam anonymo declarata eſt. Hic autem ſpecifici tantum mentionem facimus, cuius vires in curandis ſtrumis Noſter expertus laudat. Paratur iſtud ſequenti ratione. Sumitur nimirum nitri depurati, ſalis abſinthii et antimonii Hungarici ana vncia vna; ſingula ſeorſim in puluerem redacta, poſtea exſiccata miſcentur et in crucibulo ſat capaci detonantur, quo refrigerato maſſa regulina eximitur, in puluerem redigitur, eique per decem dies mane et veſperi aqua calida adfunditur, materiesque quotidie quinquies aut ſexies agitatur. Tandem puluis ſiccatur, ſuper porphyriten teritur et aſſeruatur. Poſtea ſaturatum liquiritiae decoctum ſcammoneo, in puluerem redacto, affunditur, continue haſce materies

materies ſuper ignem mouendo, donec liquor lacteus euaſerit; tunc autem iſte effunditur, nouum decoctum adfunditur, idque toties repetitur, donec liquor affuſus nullum amplius colorem lacteum acquirat. Lactei liquores confunduntur, euaporantur inque ſyrupi conſiſtentiam rediguntur et aſſeruantur. Tandem mercurius viuus cum lapidibus cancrorum teritur, forti corio includitur et prelo ſubiicitur. Labore hoc ter repetito mercurius purus demum obtinetur. Cum tribus hiſce praeparatis alia coniunguntur ſicque memoratum iſtud remedium obtinetur. Praeſcriptio autem formulae haec eſt: Recipiantur ſcammonei praeparati vnciae duae; aethiopis drachma vna ſemis; mercurii purificati, antimonii praeparati, croci martis aperitiui ana drachmae tres; ſaponis albi Genuenſis drachmae duae; pulueris millepedum drachmae tres. Haec cum ſyrupo quodam miſcentur, inque bolum rediguntur; huiusque ſeptendecim aut octodecim grana, corpore rite praeparato ſumuntur.

Quaeſtio, quae anno 1752. de cauterio actuali propoſita fuit, anno ſequenti praemium non obtinuit, ſed ad annum 1755 translata fuit. p. 352.

Pariter etiam quaeſtio, quae anno 1753 de amputatione propoſita fuit, anno ſequenti praemium non reportauit, ſed ad annum 1756 translata fuit. p. 353.

Quaeſtionem anno 1753 primum propoſitam, poſthac ad annum 1755 translatam expoſuit Cl. BISSIERE. Quaeſtio autem haec eſt, *an cauterium actuale a veteribus nimium applicatum, idemque a recentioribus nimium neglectum fuerit, in quibusnam caſibus iſtud ad curandos morbos aliis praeferendum, quaeque huius praerogatiuae rationes ſint?* Cauterium actuale, potentiali ob actionem certam atque defi- p. 355.

nitam praeferendum, ſolidarum, quas tangit, partium textum diuidit, ſtratum vicinum deſtruit et ſubſequentia tumida reddit. Hoc ipſo fluida in primo ſtrato euaporantur, in ſecundo alterantur inque ſubſequentibus colliguntur et infarciuntur inſimulque nerui et eorum ſpiritus commouentur. Hi primarii effectus eſſe ſolent. Euacuatio vero et exſiccatio partis, fluidis abundantis, ſanguinis ſpirituumque affluxus, ſuppuratio, eſcharae fluidorumque vicinorum expulſio, partium deperditarum regeneratio, tandem cicatrix ſecundarios effectus conſtituunt. Sed alii etiam effectus notandi ſunt, qui, cum ſaepe in partes, a morboſa parte remotas, agant, indirecti ſeu ſympathici vocantur. Itaque calcinationem, necroſin, alterationem et exſiccationem in parte, quae immediate tangitur, poſthac obſtructionem et inflammationem in partibus, quae adiacent, inque genere neruoſo tandem commotionem atque metaſtaſeos productionem a cauterio expectabis. Quod ad morbos attinet, quibus chirurgia medetur, quinque eorum genera conſideranda veniunt. Primi generis ſunt exoſtoſes, haeque ſi malignae ſunt, vt ſcrophuloſae et cancroſae, cauterium requirunt; benignae vero, niſi abſcedánt aut fungoſae carieque profunda et humida affectae ſint, iſtud auxilium non admittunt, imo ſolidae nec fluidis repletae iſtud reſpuunt.

P. 373. In curandis herniis nec actuale, nec potentiale cauterium, ſed cultellum praeſtat. Oedema et emphyſema nunquam externa, multo minus cauteria actualia, quae tamen veteres applicarunt, poſtulant. Aſt ad tumores quosdam inflammatorios et pertinaciores quidem, vt ophthalmias refractarias, cauteria in loco remoto, non in ipſa parte, applicata multum proſunt et reſolutionem praeſtant. Tumores inflammatorii maligni, a cauſa externa, e. g. ictu venenato, contactu impuro venereo et peſtilentiali,

lentiali orti, cauteria actualia admittunt, quod vero non valet, si ab internis causis ei proueniunt. Gangraena, tumoribus superueniens, rarissime cauterium actuale requirit, atque quidem eo tantum in casu, vbi principium venenatum, malignum et locale subest. Tumores glandularum et articulationum frigidi, fungosi et humidi cauterium actuale admittunt.

Tumores concreti, vt verrucae, condylomata, p. 381.
polypi, scrophulae confirmatae, scirrhi etc. vel auulsione, vel ligatura, vel cultello, vel causticо, vel demum igne curantur. Vltimum hocce auxilium, ignis nimirum, eo tantum in casu valet, si tales tumores humidi sunt, idque eo magis, si humiditas vitiata est, haecque vicinarum partium corruptionem minatur. Notandum tamen est, tumores hos fungosos magis, quam scirrhosos magisque molles et humidos, quam sensibiles et duros requiri; sin alias, periculum habebis. Excessu aut defectu numeri figuraque naturali deprauata si peccant partes, cauterium non admittunt. Valet tamen hoc in paralysi, ligamentorum relaxatione et anchylosi inque omni casu, vbi motus deficiens turbationem excitat. In vulnerum curatione actuale p. 392.
cauterium prorsus inutile aestimatur, eo tantum casu excepto, vbi haemorrhagiae nullo alio remedio sisti queunt. In venenatis autem vulneribus e. g. ictu viperarum, morsu canis rabidi etc., bono cum successu istud applicari potest, quippe quo liquor venenatus ita destruitur, vt in humorum massam transferri nequeat. Potentialia contra noxia aestimantur, siquidem cum liquore venenato, vt oleum cum flamma, coniunguntur.

In vlceribus, quorum callositas instrumento p. 393.
scindente tolli potest, nihil valet; quae vero omnem curationem, tam interne, quam externe susceptam respuunt vlcera maligna, fungosa, callosa et saniosa,

his

his actuale cauterium medetur et potentiali praeſtat, dum nullam qualitatem venenatam, qualem potentialia, ex arſenico v. g. parata, habent, in
p. 398. corpus inducant. In curatione fiſtulae lacrymalis ferrum ignitum, quod hoc in caſu a veteribus nimis vſurpatum et a recentioribus neglectum eſt, interdum multum prodeſt, in primis ſi caries humida et inſignis ſubeſt. Aſt in vlceribus cancroſis et rodentibus, ab interna cauſa natis, nec potentiale, nec actuale cauterium conducit; ſin vero eiusmodi vlcus ab externa cauſa oritur, inſimulque fungoſum, indolens, putridaeque quodammodo indolis eſt,
p. 406. actuale cauterium valet. Tandem etiam ſaepe memoratum cauterium in quibusdam morbis v. g. rheumatiſmo, podagra, doloribus capitis perſiſtentibus, inſignem opem praeſtare ſolet. Tali enim modo morbus a parte nobili in minus nobilem, cauterio vexatam, transfertur ſicque tollitur.

p. 413. Hanc ipſam quoque quaeſtionem declarauit Cl. LOVIS. In hacce diſſertatione Cl. Auctor antiquitatem cauterii actualis probat atque multo ſtudio oſtendit, in quibusnam morbis iſtud ab HIPPOCRATE, CELSO, AETIO, PAVLO AEGINETA, MARCO AVRELIO SEVERINO et FABRICIO AB AQVAPENDENTE vſurpatum fuerit. In ſequentibus autem morbis ignitum ferrum Noſter laudat: in oedemate pedum, vbi rupturae gangraenoſae apparent, remedium iſtud progreſſum cohibet, qui tamen haud raro ſcarificatione acceleratur. In doloribus pertinacioribus ferrum ignitum, actionem vaſorum ſanorum augendo, oſcillationes, a morbi oſcillationibus diuerſas, producendo, humoremue morbificum deriuando, multum prodeſt. In primis autem cauterium actuale in fiſtula lacrymali, malo iſchiatico, morſu animalium rabidorum, ozaena, ampu-

amputatione penis, in parte licet gangraenoſa ſuſcepta, in certis quibusdam anthracibus contagioſis, vbi ſuppuratio expectanda non eſt, in angina porro gangraenoſa, carcinomatibus oſſis maxillaris ſuperioris et inferioris, humiditatem ſanioſam ibi conſumendo et cruſtas, progreſſum mali impedientes, inducendo, tandem in ſiſtendis haemorrhagiis, ſi valde vrgeant, felici cum ſucceſſu applicatum eſſe, Noſter declarat.

Tandem et ab Auctore quodam anonymo quaeſtio haec declarata fuit. Hic in duas partes diſſertationem diuidit, inque priori caſus exponit, in qui- P. 444.
bus actuale cauterium aliis praeferri mereatur. Si itaque ſanguis, vel lympha ab excreſcentiis fungoſis, quae applicationem hirudinum in infantibus aut illis, quorum ſanguis poſt febrem hecticam tenuior et aquoſior euaſit, ſequuntur, tanta copia ſtillat, vt nullis remediis compeſcatur, cauterium praeſtat. Si arteria vulnerata eſt et decurſus eius, nec vinculum, nec ligaturam admittit, idem cauterium valet. Si inſtrumenta inciſoria in tumoribus ſaccatis, fiſtulis, tuberculis et excreſcentiis ita adhiberi nequeant, vt dicti morbi radicitus tollantur, cauterium iuuat. Si venenum vulneri immiſſum eſt, vlcus fungoſum, ſaniem plorans, non conglutinatur, aut gangraena ex debilitate et laxitate partes vicinas trahit, aut os vitiatum eſt, nec omnis in eo humorum circuitus deeſt, hincque exfoliatio retardatur, ſi porro venarum varices ſanguinis effuſio in celluloſum textum comitatur, ſi tumor lentus et indolens per ſe tardius in ſuppurationem abit, ſi oſſa dura vel mollia denudata et aeri expoſita cariem in ſuperficie contrahunt, ſi tandem vlceris orificium, vt ex fundo conglutinetur, apertum tenendum eſt, cauterium valet et ſcalpello praeferendum eſt.

Sed

p. 460. Sed quaeritur, in quibus caſibus cauterium actuale cauterio potentiali et aliis omnibus ſanandi rationibus praeſtet? Si confeſtim adurendum eſt, ſi humores aquoſi diſſipandi aut vaſa ſtimulanda ſunt, vt abſorptio et ſuppuratio augeatur, ſi vſtionis limites accurate definiendi ſunt, ſi metus eſt, ne pus aliusue humor, inter vrendum, effluat, ſi oris fauciumque tumores et vlcera vrenda ſunt, ſi caries, vermicularis dicta, adeſt, ſique ad ſpaſmos tollendos, ſolida roboranda, inflammationem excitandam, ſuppurationem promouendam acrior ſtimulus requiritur, merito cauterium actuale potentiali praeferendum eſt.

p. 467. Quodſi vero humidum ita abundet, vt ignis exſtinguatur, vt in dente cauo aut oſſe exeſo cum hyperſarcoſi et excreſcentiis fungoſis coniuncto, ſi ignis irritatio noceat, vt in phlegmone ad ſuppurationem tendente, ſi cancer paruus aut cancri maioris reſiduum adſit, ſique demum vlceris vulnerisque benigni caro luxuriet, potentiale cauterium actuali praeſtat.

p. 468. His praemiſſis altera nunc parte veteres in vſu ignis nimios, nimiumque apud recentiores cauterium actuale neglectum fuiſſe Noſter oſtendit.

p. 488. Quaeſtionem, quae ad annum 1755 translata fuit, declarauit annoque ſequenti praemium duplex obtinuit Cl. FAVRE. Ita autem ſe res habet, vt *caſus, vbi amputatio in vulneribus cum fractura oſſium complicatis, praeſertim illis, quae a tormentis bellicis inflicta ſunt, confeſtim ſuſcipienda vel etiam, vbi ea differenda ſit, determinentur deque his rationes reddantur.* Si ſymptomata, quae vulnera cum fractura oſſium complicata et a tormentis bellicis inflicta comitantur, conſiderentur atque perturbatus ſtatus hominis, cui id contigit, inſimulque laeſarum partium conditio perpendatur, ſi demum ſymptomatum impetus, quaque hora poſt inflictum vulnus metuendus,

dus, ponderetur, quiuis ſtatim perſpiciet, amputationem in eiusmodi vulnerato ſtatim poſt inflictum vulnus minime ſuſcipiendam ſed differendam eſſe. Praeſtat enim animum vulnerati prius erigere, dolores eius ſopire impetumque ſymptomatum prius refraenare, quam eiusmodi operationem, dolores nouos inducentem, vel praeſentes augentem, ſuſcipere hocque modo ſtatum hominis multo magis perturbatum reddere. Vt itaque amputatio felici cum ſucceſſu ſuſcipiatur, neceſſe omnino eſt, vt vires corporis, nec validae, nec adeo debilitatae adſint. Periculoſum etiam eſt amputationem eo tempore ſuſcipere, quo motus violenti et irritatio vniuerſalis adeſſe ſolent.

Licet autem ob rationes, hactenus adductas, p. 501.
amputatio differenda omnino ſit, dantur tamen caſus, vbi ſtatim poſt acceptum vulnus, dicta operatio inſtituenda eſt. Si namque membrum quoddam truncatum eſt partesque admodum laceratae ſunt, ita, vt vniri nequeant, ſi deinde articulationes maiores fractae ſunt, ſi porro extremitatum quaedam pars ita deſtructa eſt, vt vita deſit et gangraena accedat, ſi oſſis magna pars in parua fruſta redacta et quaſi contrita eſt, ſi articulatio fracta et notabilis partium ligamentoſarum laeſio eſt, ſi tandem truncus arteriae ita laeſus eſt, vt continuo ſanguis profluatisque nullo modo compeſci queat, amputatio ſane, ſtatim ſuſcipienda, locum habet. Licet enim euentus huius operationis minus certus ſit, melius tamen eſt, eam ſuſcipere, quam vulneratum certae morti relinquere.

Ex his itaque perſpicere licet, amputationem absque corporis praeparatione et quieti ſtatus reſtitutione periculoſam ſemper inque caſibus extremis ſemper etiam tremula manu ſuſcipiendam tuncque, vt neceſſarium malum conſiderandam eſſe. Praeterea

terea etiam, amputationem in omnibus vulneribus complicatis, licet quoque nulla eam comitetur fractura oſſis, nec etiam inſignis adeo partium mollium deprehendatur iactura, differendam tuncque non niſi ſymptomatibus grauioribus ſedatis ſuſcipiendam eſſe, patet. Sed magna omnino ex procraſtinatione enaſcitur vtilitas: ſaepe enim ſtatus partis vulneratae, cuius amputatio neceſſaria antea viſa fuit, ita mutatur, vt conſeruari integra poſſit. Niſi itaque amputationis neceſſitas vrgeat, tam diu ea differenda eſt, donec ipſa natura eam ipſam indicauerit. Quodſi vero vulnus liuidum fiat, pus putridum et foetidum, caro luxurians, oſſisque color niger appareat atque pars gangraenam minitetur, vel etiam haec ſigna ſi abſint, ſi tamen curatio neutiquam ſuccedat, vel ſi oſſa vnionem reſpuant, vel denique ſi aegrotans quotidie debilior fiat, amputationem indicatam eſſe, cenſeas. Licet autem ſaepe differenda nobis videatur amputatio, ſaepe tamen ſymptomata, non praeuidenda, accedunt, quae amputationem ſtatim ſuſcipiendam ſuadent. Ita v. g. ſi eſchara, poſt aliquot dies ſeparata, haemorrhagia accedat, nullo modo compeſcenda, vel ſi intumeſcentia aut tenſio, inflammatione totius membri et febre valida ſtipata, ſuperueniat, amputatio ſtatim inſtituenda eſt. Minime tamen putes, ac ſi tunc demum amputatio periculoſa ſit. Quo magis enim ea diſtat a tempore, quo vulnus inflictum fuit, eo magis bono cum ſucceſſu pars abſcindi poteſt. Tunc enim fluida iam imminuta et ſolida ope regiminis et remediorum ita relaxata. ſunt, vt nihil poſthac de his metuendum foret His itaque expoſitis Noſter demum octo obſeruationes ſubnectit, quibus hancce amputationis theoriam firmiorem reddit.

Eandem

Eandem hanc quaeſtionem expoſuit Cl. CONTE. p. 521. Hic primo exponuntur caſus, in quibus amputatio ſtatim ſuſcipienda eſt. Si magnum os e. g femur ita fractum ſit, vt vtrumque extremum in acumen deſinat, quod nec tolli, nec reponi poſſit, ſicque vnioni impedimento ſit. 2) Si oſſa femoris, brachii, cruris et cubiti in pluribus locis fracta ſimul ſint. 3) Si in tali ſtatu extremum oſſis a corpore eiusdem ſeparatum ſit. 4) Si articulus contritus et in plura fruſta ſeparatus ſit, ita, vt nullum partibus mollioribus relinquatur fulcrum. 5) Si corpus peregrinum ita in os intruſum ſit, vt arte nulla euelli queat. 6) Si ſanguis, ex arteria membri fracti fluens, nullo modo compeſci poſſit. 7) Si membri quaedam pars deficiat; ſi tandem conuulſiones, non compeſcendae, aut gangraena ſuperueniant, amputatio valet.

Vulnus vero cum fractura oſſis complicatum et p. 531 commotione totius generis neruoſi ſtipatum, vires aegrotantis validae, humorum qualitas deprauata, viſceris nobilioris inflammatio, ligatio vulneris primo tempore neglecta, necroſis non limitata et inprimis ſi ſupra vulnus intumeſcentia inflammatoria, longe ſe extendens, adſit, amputatio, cum periculi tunc plena eſſe ſoleat, differenda eſt. Sique demum os a globulo tantum minori inque medio tantum fractum ſit, ſi in articulatione cubiti aut genu, nec humeri, nec femoris extremitatem inferiorem tangat fractura, nec ſymptomata vrgeant, ſi cruris et tarſi, nec non cubiti et carpi, oſſa aliqua ex parte tantum fracta ſint, ſique demum vulnera cum oſſium fractura a tormentis bellicis non inflicta ſint, amputatio ob periculum vix metuendum, differenda eſſe videtur.

Quaeſtio, quae anno 1756 propoſita *caſus, vbi* p. 544. *amputatio femoris in ipſo articulo vnicum, vitam*

aegrotantis ſeruandi, auxilium videretur, determinari iubet, *numque ea ſuſcipienda et quae optima inſtituendi methodus ſit*, praemium non obtinuit, ſed ad annum 1759 translata fuit.

p. 545. Vltimam tandem quaeſtionem anno 1757 propoſitam explicauit et anno ſequenti praemium obtinuit Cl. GRILLON. Verſatur autem omnis rei cardo in eo, vt *caſus, vbi in morbis chirurgicis iniectiones neceſſariae ſint, definiantur, inſimulque generales et ſpeciales, his vtendi, regulae tradantur.* In quatuor partes Noſter tractationem diuidit, inque prima iniectionum incommoda, in ſecunda effectus earundem, quos cum aliis remediis communes habent, in tertia vſum earum verum, inque quarta demum regulas, in adhibendis iniectionibus obſer-
p. 550. uandas, exhibet. Quod ad incommoda ſpectat, iniectiones 1) partes, quibus applicatae ſunt obruunt et aggrauant, 2) partes diſtendunt iisque ſe inſinuant et ſinus efficiunt, 3) per fluida aduentitia gluten illud naturale, quod a Natura, ceu materies elementaris partium ſolidarum deſtinatum eſt, ſubtrahunt, 4) vaſorum extremitates, denuo creſcentes, deſtruunt, corrugant easdem et indurant, inprimis ſi ſaepe repetitae ſint, 5) fauent introductioni aeris in partes, quibus applicantur, 6) iniectiones, cum fluidae ſint, incommoda etiam remediorum huius generis habent, alterantur, ſubito diſſipantur et ſuperficiebus tantum, quae actione earum indigent, adhaerent, 7) tandem rudis, vt quorundam mos eſt, partium externarum preſſio, vt iterum exeant, multis incommodis ſtipata eſt, cum vt contuſio conſiderari queat.

p. 555. Si caſus obueniant, vbi operationes, cultello peragendae, faſciae expellentes, inciſio in loco oppoſito, turundae atque iniectiones ſimul indicen-
p. 560. tur, hae illis ſemper poſtponendae ſunt. Sed nec vtilitate

vtilitate quoque carent iniectiones, cum interdum locis quibusdam auxilium adferant, quod alia praeſtare nunquam valent; imo illarum ope partes anodyna, emollientia, adſtringentia, balſamica, mundificantia, detergentia, cauſtica etc. accipiunt remedia. Sed quaeritur, vbi eae adhibendae veniant? p. 561.
In vulneribus externis quibuscunque, ſi recentia ſint, iniectiones vſurpari nequeunt, ſin vero multum tempus praeterlapſum ſit, nec ad cicatricem vulnera producta in ſinus et fiſtulas abire inceperint, iniectiones, aliis incaſſum adhibitis, valent inque omni caſu neceſſariae habentur, vbi absque harum ope alia ſubſidia nihil alias praeſtare poſſunt.

Si humores ſanguinei vel purulenti intra corpus p. 563.
offundantur, factaque inciſione exitus illis concilietur, multi quidem, ad detergendas partes deſtructas easdemque regenerandas atque rurſus vniendas, iniectiones ſuadent: ſed, cum ſolius naturae ope id perfici queat, iniectiones proinde non neceſſariae ſunt, imo potius intermitti debent. Interdum tamen in cauitate cranii ſi effundantur humores, iniectiones locum ibi inueniunt, vbi vero non, niſi aliis fruſtra tentatis et quidem ſumma cum cautione adhibendae ſunt.

Pari quoque ratione iniectiones in vulneribus p. 567.
thoracis inutiles cenſentur. Licet enim SCVLTETVS, ad compeſcendas haemorrhagias pulmonis, adſtringentes iniectiones ſuaſerit, eae tamen, cum opprimant pulmones et tuſſim excitent, neque tamen laeſum vas ad conſtrictionem diſponere valeant, inutiles prorſus, imo noxiae aeſtimantur. Sed nec ad diluendum quoque ſanguinem, in cauitate pectoris collectum et coagulatum, quid praeſtant, cum liquores iniecti partes iam vexatas et oppreſſas eo magis opprimant maleque afficiant et praeterea ſanguis ipſius naturae ope optime reſolui queat. Interdum tamen eodem, ſed non, niſi aliis

fruſtra vſurpatis, in abſceſſibus pectoris internis adhibendae ſunt atque quidem ſi in textu celluloſo pleurae haereant, non aeque, ſi eidem in pectoris cauitatem penetrent.

p. 574. Nihil iuuant iniectiones, ſi in abdominis cauitate pus effundatur, aut in hepate abſceſſus haereat, imo potius in vtroque caſu noxiae omnino euadunt.

p. 577. Aſt in morbis quibusdam viarum lacrymalium ſinuumque inprimis maxillarium, ad vlcera ibidem detergenda, porro in veſicae dilatatione aut conſtrictione, ad compeſcendos ſpaſmos et vlcera eiusdem

p. 579. detergenda, inprimis autem poſt lithotomiam, ad excludendos calculos minores, qui non niſi cum periculo extrahi alias poſſunt, tum in vrthrae, vteri eiusque vaginae morbis, tandem in ſuperficialibus recti inteſtini vlceribus iniectiones haud raro optimo cum ſucceſſu ſuſcipiuntur.

p. 583. His expoſitis octo demum ſubnectuntur regulae, quae in vſu iniectionum obſeruandae veniunt.

VIII.

ANTONII DE HAEN, Conſiliarii Aulici ac Medicinae Practicae in alma Vniuerſitate Vindobonenſi Profeſſoris Primarii, Ratio Medendi in Noſocomio Practico, quod in gratiam et emolumentum medicinae ſtudioſorum condidit MARIA THERESIA, Auguſtiſſima Romanorum Imperatrix, Hungariae, Bohemiae, etc. Regina. Editio altera. Vindobonae. Typis Ioannis Thomae Trattner, Caeſ. Reg. Apoſt. Maieſt. aulae typographi et bibliopolae. MDCCLIX. 8 mai. pl. 8. Pars altera; editio altera. MDCCLX. 8 mai. pl. 12.

Ante

Ante hos tres quidem et quod excurrit, annos nempe ſub exitum anni 1756, prima iam indicati libri pars prodiit, quam tres aliae eiusdem formae eiusdemque argumenti ſecutae ſunt et quarum plures ſine dubio expectare poſſumus omnique etiam iure cupimus atque optamus. Interim caſu tantum et praeter omnem voluntatem accidit, vt iuſto ſerius lectoribus noſtris indicemus hoc opus, omni tamen attentione omnique commendatione digniſſimum. Quam enim olim, quum de b. MEADII *monitis et praeceptis medicis* exponeremus, obſeruationes medico-practicas colligendi methodum laudauimus, eam quoque ab Ill. DE HAEN receptam eſſe intelligimus. Quae enim in variis morbis, tum quoad remedia pharmaceutica aut chirurgica, tum quoad aegrorum diaetam atque regimen, prae aliis inuenerit proficua, vel quoque noxia, ſedulo, acute atque fideliter annotauit, iudiciis ſuis de morborum varia indole varioque decurſu interſperſis. Largiſſimam his conficiendis obſeruationibus materiem ipſi ſuppeditat muneris, quo fungitur, ratio, cuius quippe vi aegrorum in vaſtiſſimo noſocomio practico vndiquaque apportatorum curam ita debet gerere vereque habet, vt, comitante ipſum medicinae ſtudioſorum numeroſa caterua, coram aegrorum lectulis hos artis tirones et naturam morborum et optimam iis medendi methodum, publice doceat. En laude et imitatione digniſſimum inſtitutum, quod non doctos ſolum atque peritos medicos perficit; ſed totius artis noſtrae incrementum, quam maxime iuuat illamque omnino amplificare valet! Ab ipſo autem Cl. Auctore noſtro eo ſolidiora eoque vtiliora tradi poterunt, quo maiorem iam olim famam conſecutus fuit, quum ex ſchola Magni BOERHAAVII egreſſus, Hagae Comitum per viginti iam annos medicinam faceret. In veterum quoque non ſolum

medicorum, ſed recentiorum quoque, ſcriptis verſatiſſimum eum eſſe, omnis eius comprobat doctrina. Ex ipſius nunc operis prioribus partibus quaedam delibabimus, de reliquis proxime ad lectores noſtros relaturi.

Prima pars nouem abſoluitur capitibus, quorum *primum de diaeta aegrorum* exponit. Ea *Noſtro* ſolet eſſe prorſus Hippocratica, ex farinaceis conquiſita; iure carnium tantum aſſuetis conceſſo, additisque
p. 6. tamen aceſcentibus correcto. Valde copioſum in primis et aſſiduum potum ex aqua hordei vel auenae cum melle tartarique, ſi aeſtus poſtulauerit, cremoris vel nitri paulo largiore copia, vehementer, nique fallimur, recte commendat, quo, acribus ventriculum onerantibus, dilutis ſolutisque, nauſea vomitusque ſaepius ab initio morbi praeſentes tollantur; ſitis extinguatur; acre potiſſimum illud, humoribus inhaerens neruosque vellicans, diluatur; omnes corporis ſecretiones adiuuentur; vlterior humorum corruptio praecaueatur; appetitus, primarum viarum ſordibus correctis, citius redeat; et quo tandem moleſtus iſte vomitus vel alui fluxus, morborum decurſui ſaepius ſuperueniens, praeuertatur. Si qua etiam accedat diarrhoea, ea, niſi quoque vere critica ſit, tamen, vel crudo adhuc exiſtente morbo, vt plurimum bona eſſe ſolet. Quum aegris in noſocomio, cui *Noſter* praeeſt, tam copioſus praebeatur potus, vt duas tresue menſuras, quarum quaelibet quatuor libras medicas capit, epotent per diem: fieri inde putat, vt petechiae ac miliaria in illo fere ignorentur.

p. 10. *Secundum* caput *de medicamentis in morbis acutis* agit. Emeticorum in his damnat *Noſter* vſum motusque potius, qui tum temporis ſolent violenti eſſe, moderari iubet; quin et nauſeas vomitusque, ex aliorum medicorum ſententia tale remedium indi-

indicantes, copioſo tantum decocti diluentis vſui ſaepius altero iam morbi die ceſſiſſe aſſeuerat. Ex p. 15.
vegetabilibus autem acida commendat, ſaponacea et aperientia, talium radicum decocta, additis melle, oxymeli, fructuumque acido-dulcium ſuccis inſpiſſatis vel inde paratis ſyrupis, et pro neceſſitate rerum circumſtantium ſalibus neutris. Laudabili hinc feruore in magniloquas ac vaniloquas formulas diſpenſatorii Viennenſis, cui plura alia quam ſimillima eſſe dolemus, inuehitur, multumque poſtea diſputat contra remediorum terreorum vſum, quippe quae, vel non mutent acidum ab eoue immutentur, vel, ſi qua eorum quoque mutata in tertium quoque neutrius generis abeant corpus, tamen noceant in acutis morbis, aperientem quidem vim quandam his vltimis ineſſe concedit *Noſter*, ſed hanc, quae demum ſit, non conuenire acutorum principio; quum cruda tum mouenda non ſint; neque tempori criſeos; quum materiem ad vrinae vias nimium vrgeant. Nitro ſe quidem vti ait, ſed blandiore modo agere hoc violentiore autem iſtud, perhibet. Eo tandem p. 20.
vtitur argumento, quod ne vnum quidem granum omnium iſtorum terreorum praeſcripſerit vmquam, vix pauci tamen ab acutis morbis integro biennio perierint. Purgantia propter cauſſas paulo ſupra iam allegatas aeque parum praeſcribit, ac vomitoria: enematum vero, ſi aluus modo clauſa, modo propter acrimoniam laxa nimis ſit, frequentiorem vſum eo grauioribus argumentis ſuadet. Interim tamen non raro dari ſine dubio concedet Ill. Auctor eius generis febres, quae tantum a ſaburra cruditatum, vel alius alienae materiae primis viis inhaerente originem ſuum ducant ideoque remediis leniter aluum ducentibus potiſſimum curari debeant, inteſtinales eam ob cauſſam a non nullis auctoribus appellatae.

p. 26. In *tertio* deinde capite *de aëre, decubitu, seſſione, aliisque circa aegros moderandis*, diſſerit. Ab initio contra peſſimum iſtum morem, quo conclauia nimis calida redduntur, pugnat caloremque moderatum et ad 60 vel 65 gradum thermometri Fahrenheitiani tantum concedit, aerem quoque omni modo corrigere et renouare annititur. Quam vehementer nociuus, ſi diu protrahatur, ſit defectus motus et in primis decubitus, conſtat. Aegros itaque, vel acutis quoque morbis detentos, etſi debiliſſimi ſint, in lecto tamen quotidie erigere, vt per pauca certe horae momenta ſedeant, ſi vero vires id permittant, per 1, 2, 3 horas e lectis Noſter iubet
p. 32. eximere. Praeter alia hinc oriunda commoda hoc quoque eo refert, quod ne ſemel quidem per biennium viderit in noſocomio petechias, exceptis illis aegris, qui eo iam morbo capti, in illud introducti fuerint, et vnica tantum vice miliaria alii morbo, pulmonum quippe acuto, ſuperuenientia, eaque ex errore tantum commiſſo orta. Purpuram vero idiopathicam ter modo vidit. Ab initio aliorum clamore perterritus, tales ſimilibusque morbis putridis decumbentes aegros iacere ſiuit, deinde vero eos cum felici ſucceſſu e lectis eduxit.

p. 38. *Quartum* porro caput *de diebus criticis et criſibus variis* Cl. Auctoris ſententiam continet. Locorum quidem de criſium vario tempore in HIPPOCRATIS operibus reperiundorum ſummam quidem eſſe diſcrepantiam concedit, ab HIPPOCRATE autem ipſo illam prouenire negat, ſed, quum Graeci numeros exponant literis, ex incuria eorum, qui manu deſcripſerint veterum ſcriptorum opera, ſimiles errores, quam facillime irrepere potuiſſe monet. Quodſi quis vero clinicas eius obſeruationes in *Coacis* et *Prorrheticis* conſuluerit, recte iudicaſſe illum ſenem, quemlibet deprehenſurum eſſe putat, praeſertim, quod Aph. 2 - 24 omnium maxime

maxime cum ipſius obſeruatis conueniat, quae *Noſter* etiam ſua per plures quam viginti annos confirmata ſemper fuiſſe tradit experientia.

Idem quoque in capite *quinto de vrinis* aſſerit, p. 53. praeſagia tamen inde petenda ſaepius eſſe incerta et obſcura, fatetur. Data hac occaſione, meminit experimentorum, quae cum vrinis ſanorum aeque ac aegrorum hominum ceperit, et acidis et alcalicis additis, vt exploraret, num Cl. PRINGLE doctrina de alcalinorum contra putredinem vi reſponderet experientiae? Omni autem examine euictum eſſe perhibet, acida longe diutius ab vrinis arcuiſſe putredinem, quam alcalia, excepto tantum ſpiritu cornu cerui; vrinasque longe citius contraxiſſe putredinem, ſi alcalica fuerint admixta, quam ſi tantum ſibi relictae fuerint.

In capite *ſexto* varia recenſet experimenta, quae p. 57. cum *ſanguine humano* fecerit, limitibus tamen noſtris, quae repetantur hic loci, nimis et ampla et numeroſa. Ea potiſſimum concernunt ſanguinem rubrum et *Ruyſchianam* ſic dictam *pſeudo-membranam* artis ope, tum conquaſſando, tum aqua et calida et frigida ſaepius affundenda, inde parandam; eius porro ſerum, cruſtam inflammatoriam atque colorem, varias denique mutationes a variis affuſis liquoribus ortas. De eius ſero quid *Noſter* obſer- p. 70. uarit, notamus experimenta cum eo et cum albumine oui capta, vehementer inter ſe diuerſa oſtendiſſe phaenomena. Illud enim aquae feruidae admiſtum, ab hac in nullum abiit coagulum, ſed lacteum ſaltem ipſi conciliauit colorem; ita quoque permanſit lacteus hic liquor, licet frigefactus, ad ebullitionem iterum redactus fuiſſet. Ex omnibus autem illis experimentis apparet, quam neceſſe ſit, vt plura in poſterum de ſanguine capianrur tentamina, quum ea, quae de eius natura iam habere credimus comperta, valde adhuc dubia et obſcura ſint.

p. 84. *Septimum* caput *quaedam* exhibet *anatomica*. Quod ab aliis iam obſeruatum fuit, illud a *Noſtro* etiam annotatum deprehendimus, ſe nimirum in paraphrenitide et pleuritide corporum defunctorum pulmones ad membranam, quae coſtas, diaphragma et pericordium ambit, flaua, craſſa, atque tenaci materie, ipſi ſanguini phlogiſtico ſimillima, afflictos reperiiſſe. In cadauere feminae, quae diu iam laborauerat phthiſi et ſputa flaua, ſubuiridia, craſſa, aquae ſalſae fundum illico petentia, maxima in copia ſputauerat, pulmones tamen non conſumti, nec collabentes, ſed veluti fungoſi, neque puris guttula vel vomicae veſtigium in iis, inueniebantur. Simili modo in cadauere viri hydrope et phthiſi extincti, ne minimum quidem puris aut vomicae in ipſis pulmonibus, ſed aliquid tantum puris in trachaea
p. 96. reperiundi, cernere licuit. Lumborum, crurum atque coxarum inflammationes ſaepius a medicis negligi et arthritidem potius vel lumbaginem rheumaticam ſubeſſe, falſo ab iis credi *Noſter* ex cadaueribus intellexit, vertebras lumborum et oſſa femoris ab acri pure corrupta et exeſa interdum deprehendens. Puella quadriennis in lapidem cadens, perpetua deinde cephalaea laborabat; poſt ſeptem vero annos a vermibus enecabatur. En cephalaeae cauſſa! Sinum falciformem et quae in illum ex encephalo reuehunt ſanguinem, vaſa occupabat polypus. Inteſtinum vero ilium duas offerebat ſui ſuſceptiones, quarum vna ſemidigitum longa; ita ſe habebat, vt ſuperior eius pars ſuſciperetur ab inferiore et tumidior et inaequaliter dura eſſet, a quinque lumbricis teretibus cincta et contorta. Plures alias annotationes in cadaueribus factas hic loci reperies.

In capite *octauo de vi electrica* exponit *Noſter* pluribusque enarratis caſibus inſignem eius virtutem in paralyſi, chorea S. Viti, artuum tremore aliisque

aliisque morbis comprobat. In tranſitu quaerit, cur paralyſis vel chorea S. Viti, niſi omnes artus affecerint, ſiniſtram frequentius, quam dextram corporis partem occupent? Idem quoque a nobis obſeruatum eſſe meminimus, nos tamen aeque ignorare cauſam, fatemur. p. 101.

Vltimum denique ſiue nonum *de varii.* inſcribitur caput. Nonnulla nimirum commemorat Cl. Auctor, quae vlterius examinata magisque per experientiam comprobata ab ipſo expectare poſſumus; v. c. de viribus aquae calcis contra calculum, mercurii ſublimati contra luem veneream eiusque diriſſima ſymptomata e. ſ. p. Fumi tabaci in ileo et hernia incarcerata laudes praedicat ideoque inſtrumentum, communis ad clyſma ſiphonis formam exhibens valde commendat. Diſſertationem de colica pictonum ante hos duodecim iam annos editam, inſigniter nunc auctam promittit et mutatam. Id ſaltem in praeſenti praefatur, olei pinguiumque vſum aduerſus hunc morbum poenitendum eſſe numquam, quin et in multi panis eſu cum oleis et pinguibus optimam inuenire putat prophylaxin illos artifices, qui metallis praeparandis victum quaeritent. p. 111.

Nunc ad *alteram* huius operis *partem* properemus. Tredecim illa continet capita, quorum *primum methodi Hippocraticae, Sydenhamianae ac Boerhaauianae praeſtantiam* extollit. Breuibus tantum innuit, illam primo iam tomo morbis acutis medendi methodum, ad HIPPOCRATIS, SYDENHAMI atque BOERHAAVII, monita et praecepta praeſcriptam, per conſtantem laetamque in dies in noſocomio confirmari experientiam. De emeticis ſupra iam diſputatum fuit; hic vero loci repetit, ea tantum aeque ac purgantia iſtis in caſibus modo reperire locum, vbi putrida bilis, ſuis ſignis conſpicua, p. 1.

ſpicua, vt prima et vnica morbi cauſſa, febrim excitet, cuius tamen reliqui tumultus, datis paulo poſt euacuantia paregoricis, compeſcendi ſint. Plures tamen dari exiſtimat febres acutas et putridas, in quibus vomitus aluique deiectiones ab irritatis tantum proueniant neruis, quare in iis, ſi valida febris cum magno pulſu adſit, venaeſectione, tumque oleo lini cum tantillo opii, enematibus oleoſis, largo decoctorum emollientium, vti et cataplaſmatum talium fotuumque imo ventri applicatorum vſu, nihil ſit praeſtantius, quum omnibus iſtis remediis tumultus ab irritatis neruis oriundi optime tolli ſoleant.

p. 7. *Secundum* caput Cl. Auctoris *de generatione puris* cogitata exhibet. Praeparationem puris praegreſſam ſequi debere inflammationem, ex medicorum ſcholis conſtat. Interim accidit non numquam, vt pus exſcreent aegri aut alia via ex corpore eiiciant, in hoc tamen nullo, quo reconditum fuiſſet, reperiundo receptaculo. Similem iam ſupra ex primae partis capite ſeptimo enarrauimus hiſtoriam; aliasue eiusdem fere indolis hoc in capite legere licet: ex variolarum quoque hiſtoria conſtat, iſtas interdum excipere abſceſſus absque praegreſſis inflammationis ſignis, ſolo tantum tumore molli conſpicuos. Hinc
p. 14. quaeritur, vndenam illud pus? Ab ipſo ſanguine, ex mente Cl Auctoris, immediate ſecernitur, prout aliam ſimilemque in ipſo deprehendamus diſpoſitionem ad generandam iſtam materiam phlogiſticam eamque per varias vias excernendam, ſine aliquo ſacco intermedio, in quo moram contrahere poſſet.

p. 19. Multiplices autem gignendae huius in ſanguine materiei cauſſas, in primis tamen earum ſeptem, *Noſter* enumerat: frigus nimirum calenti corpori admiſſum: rarefactionem ſanguinis in homine plethorico, per nimium corporis motum, aut vehementem iram, aut pergraecationem, effectam: acrimo-

acrimoniam veneream, arthriticam, rheumaticam in aliquo loco iam quidem depoſitam, varioloſam porro, morbilloſam, ſcarlatinam, e. ſ. p. vtramque, nunc intra ſanguinem ſuſceptam; victum lautum in otioſis, quin et nimis tenuem in aliis, qui infimae ſortis ſint, hominibus: grauiditatis ſtatum: tandemque diatheſin quandam naturalem viſam. Alia vero nunc oritur quaeſtio, quanam arcana lege recenſitae iſtae cauſſae materiem hanc ipſam valeant producere? Nonne plurimis in caſibus, ſolida arctari, denſari fluida ſicque de reliquis cruoris elementis materies haec exprimi videtur? Aliquid tamen adhuc incognitum et obſcurum ſaepius inſimul admitti debere, negandum haud erit. Illud variolarum genus, quod interdum obſeruatur absque febre praegreſſa, vti et grauidarum ſtatum earumque in primis, quae antea numquam expertae fuerint fluxum menſtruum, comprobare illud videntur. p. 21.

Hancce porro ſuam Cl. Auctor illuſtrat ſententiam per obſeruata in vulnere ibique praeparando pure obuia; licet hanc doctrinam ipſi contrariam eſſe primo intuitu quis forte putet: expendas autem, vulnere inflicto, ſanguine nunc exſilire ceſſante, lympham tantum tenuem, minime phlogiſticam, transſudare; tribus vero quatuorue diebus elapſis, accedente febre, labia vulneris mutari, nuncque, imminuta febre, pus exire, quo ablato, alba propullulare corpuſcula, ſeu eminentia potius vaſculorum extrema, quibus vnitis, cicatricem fieri. Applices haec ad morbum inflammatorium internum, quo ſanguis diatheſin contraxit phlogiſticam, v. c. peripneumoniam. In huius principio et augmento tenuia, aquoſa, glutine leui ſtriisque ſanguineis mixta prodeunt ſputa: tertio autem quartoue die ſtriae iſtae ceſſant ſputaque exeunt cocta, puri ſimilia, flaua, deinde ſubalbida et morbum ita iudicant. Aliud p. 26.

inſuper

inſuper datur phaenomenon in vtroque illo caſu, noſtrum argumentum illuſtrans. Quodſi enim vulnus, quo tempore pus in illo generari inceperit, frequenter nimis deligaueris, pus bonum, quod laeſae partis adiuuet conſolidationem, haud amplius inuenies; aliqua igitur concedenda eſt quies, quo lympha ex arteriolarum oſculis emanans, emolliat extrema vaſa indeque reſiſtentiam eo natam in vulnere auferat, illamque ipſam materiem phlogiſticam fundat, quippe quae deinde, cum illa lympha permiſta, bonum pus exhibet. In peripneumonia ſaepius violenta tuſſis concutit nimis pulmones coctionemque materiei inflammatoriae impedit. En vero! aut natura, aut arte, conciliato blando ſomno, ſputa et colore et conſiſtentia mutantur coctaque exſcreantur.

p. 35. Eſt eadem quoque ſanguinis diſpoſitio, de qua huc vſque diſſeruimus, illa, qua non in acutis ſolum, ſed chronicis quoque morbis, ſub vitae terminum viſceribus circumnata deprehenditur cruſta tenax, flaua. Ex eadem porro ad diatheſin inflammatoriam ſanguinis diſpoſitione intelligitur, cur in abſceſſibus tanta puris copia interdum effundatur,

p. 36. vt aegri tandem ex defectu virium pereant. Aliis quoque in natura rebus inhaerere vim, ſanguini hancce conciliandi diatheſin, exemplo belladonnae, vel atropae LINNAEO dictae, comprobare *Noſter* annititur, quippe cuius contra cancrum adhibitae vſu tam inſignis copia puris prolecta fuerit, vt inde duae feminae pene extinguerentur. In tranſitu de hac herba repetamus, quod ichoris loco pus quidem bonum viſum effecerit, ipſum tamen cancrum haud percurauerit. Ex ea denique, quam adumbrauit Cl. Auctor, theoria intelligi arbitratur, cur parua vulnera, ſine febre inflammatoria et absque impoſitis maturantibus, bonum et copioſum pus interdum praebeant? Cur febres topicae

dicendae,

dicendae, nonnumquam obueniant? Cur in angina pectorisque inflammatione vti et in vulneribus, altera iam die interdum pus appareat?

In capite *tertio de variolis*, ſuam iis medendi methodum proponit Cl. Auctor. Super inoculatione variolarum, cui non fauet, ante aliquod tempus quaeſtiones edidit, proxime a nobis indicandas; iam vero de naturalium habenda cura ſuas tradit obſeruationes. In genere methodum contra illas commendat antiphlogiſticam, exulantibus emeticis; balneorum porro emollientium vſum, bis de die per ſemihoram ad genua vsque extra lectum adhibendorum, pedibusque tum probe abſterſis applicata epiſpaſtica; inſuper altera iam a bene prodeuntibus variolis quauis duodecima hora, vel ſi puſtularum genus fuerit malignum, quoque crebrius, paregoricum; enemata dein emollientia quotidie ad finem vsque morbi immiſſa. Oculos aqua cum lacte, vel lacte cum decocto ſeminis ſumach, totamque faciem cum aqua lacte permiſta fouere iubet. Venaeſectionem, ab initio non tantum, ſi febris eam poſtulauerit, ſed vrgente hac, quouis variolarum ſtadio, peripneumonia, pleuritide accedentibus, permittit, quin et ſub finem morbi, omnibus ſiccatis puſtulis, vt ſanguis ab illa materie liberetur, quae ſepius oculos afficiat furunculosque excitet. Variolas pure turgidas iamque ſiccas ad diem decimum, 11. 12. tenero forfice praeſcindere, ſique opus fuerit, variolis denuo purulenta materie turgentibus, ſaepius hoc modo aperiri, ſpongiisque cum aqua tepida et lacte abſtergi et foueri, et ſub finem morbi tandem purgantia antiphlogiſtica frequenter dari iubet. Puſtularum vero reiteratam perſciſſionem ideo potiſſimum ſuadet, quod non conſeruandae ſolum venuſtati quam maxime eam inſeruire, ſed puri, quo minus in panniculo adipoſo coacer- p. 39.

coaceruetur nouasque ludat tragoedias, exitum dare, conſtanti longoque vſu habeat compertum.

p. 53. In capite *quarto de herniis* tres huius morbi hiſtorias recenſet, quae tamen repetantur a nobis, nimis amplas. Id ſaltem inde patere narramus, herniotomiam, quam vtilis ſaepiusque neceſſaria ſit, magna tamen cum circumſpectione adhibendam eſſe, quum in hiſce morbis externis aeque ac internis ſumma mirabilisque ſaepius obueniat rerum circumſtantium diuerſitas.

p. 60. *Nonnulla de tympanite et ileo morbo* profert Cl. Auctor in capite *quinto*. Variis iisque, vti conſtat, quam maxime inter ſe diuerſis et veterum et recentiorum de hoc morbo iudiciis ab initio allatis, memoratu dignum adducit caſum, ex quo deinde, quam

p. 65. ipſe foueat, ſententiam colligit. In cadauere enim hominis a triennio tympanitici, intra tres annos ileo ter affecti vltima vice eo extincti, firma ac ſi ab arcte circumducto filo effecta eſſet, inteſtini coli coarctatio ad ſeptem circiter pollicum diſtantiam a principio recti deprehendebatur, ad quam tota excrementorum moles coaceruata erat, colo ſub conſtrictione viſo gracili rectoque non expanſo. Reliqua coli pars ad coecum vsque, vti et ipſa tenuia inteſtina omnia cum ventriculo, quam maxime erant diſtenta, adeo vt ipſius thoracis conformatio inde vehementer mutata eſſet, compreſſis inde pulmonibus et corde paruo reddito. Itaque ex inflammatione, quam in deſcripta coli regione ante tres annos paſſus fuerat aeger, conſtrictio iſta remanſerat; aluo autem tum temporis diu et pertinaciter clauſa, inteſtina ita expanſa fuerant, vt tympanitem efficerent eamque, licet primo morbo ſoluto viſo, elaſticitate tamen omiſſa, ſeruarent, aliqua tantum excrementi via per anguſtatum canalem permiſſa. Permanens antem ilei cauſſa proegumena morbum de nouo facile gignere potuerat,

potuerat, qui tandem aucta tympanite et gangraena finitus fuerat, Tympanitem igitur, vti plurimis aliis in casibus, sic et in nostro, in canali intestinorum ab aere nimis expanso consistere, patet; duplicem tamen, eamque solutu difficillimam, supereſſe quaestionem, fatetur *Noſter*, nimirum vnam: an valuula Tulpiana seu Bauhiniana ita mutari possit, vt excrementis iter fiat ex crassis in tenuia intestina? alteram: qui fieri queat, vt obice illo, cuius resistentia tanta sit, vt vel in denatis, nec aquam, neque flatum transmittat, insuperabili viso, enemata tamen transiisse obseruata fuerint? Postquam, quae contra BIANCHI, MANGETI, HAGVENOTII et HALESII, virorum hoc phaenomenon explicaturorum opiniones disputari possunt, protulit, HAGVENOTI sententiam interdum habere posse locum concedit, quod nimirum colon atque coecum adeo amplificari queat, vt apertura ampliorem nanciscatur circumferentiam, quam vt valuula, alias eam quam arctissime claudens, nunc eam vltra explere posset. In nostro quippe casu ne tertiam quidem aperturae partem valuula tegere posse visa fuit; adeo aucta fuerat coli atque coeci diameter. Interim tamen non omnes faeces, quas forte aegri euomuerint, ex intestinis crassis prouenire debuisse, ex pluribus cadauerum sectionibus demonstrat, quibus constitit, stercus aluinum, quoad consistentiam, colorem atque foetorem, verum ad distantiam trium pedum et octo pollicum ab ipsa valuula in ileo intestino iam reperiri posse. Alteram nunc porro quaestionem, quomodo nimirum enemata, ano immissa, ore reddantur, ita soluit, vt, si talia accidant symptomata, per incipientem gangraenosam intestini diathesin, constrictionem laxari totumque intestinorum canalem ab aere rarefacto extendi adeo debere existimet, vt valuula nunc illi claudendae aperturae non sufficiat. Interim, quum via

p. 68.

p. 77.

nunc patula fiat et omnia tamen non deorſum, ſed ſurſum expellantur, manifeſtum eſſe contra HAGVENOTVM aſſerit, non ſolum diaphragmatis muſculorumque abdominalium, ſed inteſtinorum potius periſtalticum motum vere inuerſum, in gangraena demum incipiente ſuperſtitem, omnia
p. 79. eiicere per ſuperiora. Omnem denique vomitum ſtercoreum mortem inferre negat, experientia non ſolum confirmatus, ſed illis quoque rationibus adductus, quod ſtercus interdum, vti iam dictum fuit, ex inteſtinis tenuibus proueniat et quod incipiens, quoque gangraena a vi vitae ſuperſtite ſiſti et ſuperari queat.

p. 81. *De nonnullis infortuniis noſtris ſextum* caput inſcribitur. Varias in eo Cl. Auctor enarrat morborum hiſtorias, quorum exitus infauſtus fuit, luculento teſtimonio, quantae fidei et quam inſignis ille ſit candoris; id, quod a quolibet viro bono expectamus. Alii tamen recenſentur quoque caſus inexpectati quidem, attamen felicis, euentus, ad quem corticis potiſſimum peruuiani rectus vſus plurimum contulit. Longiores tamen hic loci eſſe,
p. 90. limites noſtri vetant. Illud tantum, vix frequenter nimirum obueniens, monemus, non variolarum ſolum febrim, ſed pleuriticam quoque, ex intermittentium genere eſſe earumque typum obſeruare
p. 95. poſſe, nonnunquam obſeruaſſe *Noſtrum*. Nec ipſi a vero alienum eſſe videtur, inter cutaneos morbos acutos quandam dari affinitatem, vt origine et natura vix multum, ſed vario ſaepius, quo cutem afficiant, modo inter ſe differunt.

p. 101. *De polypo* agens in capite *ſeptimo*, duplex eius eſſe genus ait, alterum, quod in homine iam dudum adfuiſſe ex ipſius ſignis pateat, alterum, quod ſub ipſo demum articulo mortis generari videatur: Materiem ipſi procul dubio ſuppeditare ſpiſſum iſtud, ſanguini inhaerens principium, de quo ſupra

iam

iam dictum fuit in capite ſecundo: Modum vero, quo gignatur, inde poſſe intelligi, quod ſanguis e vena miſſus ſponte iam in cruorem abeat, vel, ſi conquaſſetur, fictitiam membranam, *Ruyſchianam* dictam, polypo ſimilem, repraeſentat: a ſubito itaque terrore vel aliis cauſſis, v. c. lipothymia, aliquam humorum circuitui quietem conciliante, vel in corde tremulo ipſos conquaſſante, ipſum ſanguinem in hac quietis ſpecie vel conquaſſatione ſolideſcere, praeſertim ſi naturalis aliqua diatheſis ad ipſius ſpiſſitudinem vel denſitatem phlogiſticam iam adſit. Datur inſuper aliud polypi genus. Homo p. 106.
pleuriticus non ſputa, ſed materiem albam, denſam, oblongam, ramoſam, arteriae figuram referentem, eiicit. In ipſius deinde, ſexto morbi die mortui, pulmone ſiniſtro inueniuntur aſperae arteriae ramuli tali materie pleni. Similis materies cum ſanguine in arteriis pulmonalibus haerere, vti et tranſſudando cruſtam flauam ſuprà pulmones efformaſſe viſa eſt.

In *octauo* capite *de ſingulari modo reſpirationis et* p. 108.
motus cordis agens Noſter, memoratu omnino digniſſimam enarrat hiſtoriam hominis 43 annorum, cuius, praeter alia miranda in ipſius cadauere obuia, viſcera in thoracis cauitate contenta omnia tam arcte inter ſe nexa et concreta fuerant, vt explicari non poſſet, quo modo non is ſolum absque difficultate ſpiritum ducere, ſed vitam quoque ſatis longam agere potuerit *.

* Illud tantum a nobis addi velimus, ſimilem vereque ſtupendum caſum ante hos tres annos vidiſſe nosmet ipſos, in quo non thoracis tantum, ſed abdominis quoque viſcera adeo inter ſe adunata et quaſi concreta apparebant, vt vnum modo corpus iſta referrent cuncta. Attamen ille homo gibboſus erat, per plures annos hypochondriacus atque aſthmaticus, apoplexia tandem ſublatus.

p. 123. In capite *nono quaedam de pulmone innatante aut ſubſidente in aqua* proponuntur. Obſtructiones nimirum, mucum copioſum atque ſcirrhos in pulmonibus interdum reperiundos, horum portiones, quin et integros lobos, grauiores reddere poſſe, etiam ſua *Noſter* confirmat experientia, ita vt vicinae partes leuiores de caetero ſimul in aqua ſubſidere igiturque, notum illud experimentum, chirurgus niſi fuerit cautus atque attentus, fallax reddere queant. Aliud porro ſubiungit monitum, quod infans nimirum naſcens in ipſo partu aerem inſpirare, ante tamen, quam edatur vere in lucem, mori ideoque iudicia ea de re lata fallere iudicem poſſint. Pace tamen Cl. Auctoris moneamus, tales partus vt plurimum eſſe difficillimos absque manu auxiliatrice vix expectandos: feminas autem infanticidii accuſatas, clandeſtinum ideoque ſaepiſſime felicem partum edere, hincque a vero alienum eſſe, iam dictum caſum tum temporis locum obtinuiſſe.

p. 126. Diſſertationem *de ſupputando calore corporis humani* caput *decimum* exhibet. Primo celeberrimos viros, dum ſani vel aegroti hominis calorem determinare voluerint, cum commiſiſſe monet *Noſter* errores, quod tempus quamdiu thermometra applicuerint corporibus, non ſatis obſeruarint. Ex ſua igitur eaque conſtanti aſſerit experientia, ſi per octauam horae partem ſub axilla ſani hominis tenuerit thermometrum, hoc caloris gradum 95, 96, ſi per quadrantem horae, gradum 97-99, ſi per dimidiam horam, gradum 100, 101, ſi per integram horam, 101, 102 gradum denotaſſe; caloris gradu vltra non aucto, ſi per longius quoque tempus thermometrum fuerit applicatum: ſimilem porro calculum obſeruari ſemper in aegrotis: in febrili nimirum admodum modico calore, eadem iam dicta temporis ratione obſeruata, ad gradum 100, 102, 103, 104, aliis vicibus in febre continua

poſt

poſt mediam horam ad gradum 103 vel quoque 106, poſt integram horam 105 vel quoque 109, aſcendere thermometrum. Hanc diſceptationem finitam alia ſequitur. Veritati nempe conſentaneum haud eſſe, quod homo viuere nequeat in atmoſphaera, cuius calorem ſuperet ille humanus. Praeter obſeruationes enim ſub aequatore factas, ſuas quoque contrariari dicit illi opinioni, quum calorem externum humano interdum maiorem fuiſſe, optimorum thermometrum ope vere annotauerit. p. 133.

Illam porro phyſicorum ſententiam, quod calor oriatur tantum ab attritu, non vniuerſalem eſſe, neque conſtanti comprobari experientia, *Noſter* perhibet hominisque exemplo probat, qui febre hemitritaea laborans tam inſigne frigus perceperit, vt illi ferendo vix ac ne vix quidem par eſſet, in quo tamen thermometrum 104 graduum calorem denotauerit, qui talis etiam in ardente ſubſecuto calore permanſerit absque vllo augmento. Pulſus etiam frigoris aeque ac caloris tempore idem fuit, qualis in eius generis aegrotis alias obſeruari ſolet. Aeger porro, cuius iam ſupra in ſecundo capite mentio facta fuit, frigus per integras 24 horas ante mortem paſſus fuerat ſummum, marmoreum dicendum, nullo arteriarum motu detegendo: nihilo tamen minus thermometrum, per pauca tantum minuta axillis admotum, 97 graduum calorem oſtenderat. Iſti quoque theoriae, quod ab obſtructis arteriis capillaribus, cordis vi reſiſtentibus, febris, attritus atque calor, oriantur, recte *Noſter* opponit febrem a laeſa parte neruoſa minore ſatis validam ortam, et e contrario aegros, inſigni viſcerum obſtructione laborantes, et a naturali calore iuſto ſaepius remotiores. Quanam autem in re vera eius cauſſa quaeri et inueniri queat, ſe ignorare candide fateri mauult, quam, efficta hypotheſi, in errorem delabi. p. 136.

p. 148. In capite *vndecimo de vario tumorum genere* non ad inflammatorios, ſed lente creſcentes reſpicit et aliquot aegrorum iis afflictorum enarrat hiſtorias. Vnici modo ex illis generis nobis adhuc incogniti ipſis fere Auctoris verbis iam meminiſſe fas erit.

p. 155. Haud ita pridem enim tribus in hominibus vidit *Noſter* tumorem ad aurem incipientem, ſub proceſſu zygomatico prodeuntem, ad alterum tertiumue dentem molarem peruenientem, ad mediam imo et ad infimam maxillae inferioris partem deſcendentem, in ore examinatum ligneae duritiei vbique aequalis, membrana veſtitum, colore rubrum, a maxillis liberum, excepta ſuperiore ſui parte, et palmae manus magnitudine. In quadam femina totam occupauit parotidis ſedem; in alio aegro zygomaticus proceſſus extrorſum trudi viſus eſt. Nullis, neque valentiſſimis huc vsque remediis ceſſit; ſique forte aliqua in parte mollior viſus, inciſus fuerit, ſanguinem merum, lympham, dedit.

p. 159. In capite *duodecimo de mira variorum medicamentorum efficacia*, vuam vrſinam ab initio ſiue vuam vrſi TOVRNEFORTII, vel arbutum LINNAEI caulibus procumbentibus, contra renum et veſicae morbos *Noſter* commendat, ſiue calculus praeſens deprehendatur, ſiue ſui ſaltem ſuſpicionem excitet, ita vt vel tormenta morbi mitiget, vel omnia ſymptomata auferat hoc remedium. Satis amplam huius herbae praemittit deſcriptionem a Cl. MISLEI ipſi ſuppeditatam, qua potiſſimum a vite idea, cui apparet ſimillima, ita diſtinguitur, vt vuae vrſi florem ſtamina decem, vitis ideae tantum octo, illius baccas quinque ſemina, huius ſaepe viginti, habere annotet. Plantae eius in puluerem redactae drachmam dimidiam quouis mane aegro porrigit eiusque vſum per plures menſes continuat, donec ſymptomata, niſi prorſus ablata, certe mitigata fuerint. Allatae ſimul aegrorum hiſtoriae felicem

euentum

euentum comprobant. Saponem quoque venetum cum aqua calcis, ad exemplum Cl. WHYTT, in calculoſis adhibuit *Noſter* cum fructu. Laudat tandem egregium mercurii ſublimati cum frumenti ſpiritu dati vſum contra luem veneream aliosque multos morbos chronicos eosque valde rebelles.

Decimum tertium denique caput *de machina electrica* finit hanc operis partem, in quo Ill. Auctor, quae de electricitatis viribus contra paralyticos in primis morbos continuato vſu habuit comperta, pro more ſuo candide atque fideliter communicat, ex quibus apparet, non omnes quidem aegros, tales quippe, in quibus laeſae partes adeo concretae fuerint, vt humorum circuitus per eas reſtitui non potuerit, adiuuiſſe hoc auxilium, permultos tamen alios aegros vel perfectam inde recepiſſe curationem, vel inſignem certe malorum, quibus afflicti fuerant, mitigationem; ipſumque hoc remedium tale eſſe, quod in multis morbis plura praeſtet, quam alia huc vsque auxilia praeſtiterint. p. 178.

IX.

Vermehrtes und verbeſſertes Blackwelliſches Kräuterbuch, das iſt, ELISABETH BLACKWELL *Sammlung der Gewächſe, die zum Arzney-Gebrauch in den Apothecken aufbehalten werden, deren Beſchreibung und Kräften aus dem Engliſchen überſetzt angezeiget, die Abbildung großen Theils nach der Natur verbeßert, mit Beyfügung der Theile, der Blume und Frucht, wie auch des äuſerlichen Anſehens eigenen Kennzeichen vermehret und alle Arten mit bewährten Nahmen der Kräuter-Lehrer*

erläutert werden. Drittes Hundert. Mit einer Vorrede Tit. Pl. *Herrn* D. CHRISTOPH IACOB TREWS. *Verlegt, gemahlt und in Kupfer geſtochen von Nicolaus Friedrich Eiſenberger. Nürnberg,* 1757. fol. Text. pl. 23. praef. pl. 1. *Viertes Hundert mit einer Vorrede* Tit. Pl. *Herrn* D. CHRISTOPH IACOB TREWS. *Nürnberg,* 1760. fol. Text. Alph. 1. praef. pl. 1.

h. e.

Herbarium Blackwellianum emendatum et auctum, id eſt, ELISABETHAE BLACKWELL collectio ſtirpium, quae in pharmacopoliis ad medicum vſum aſſeruantur, quarum deſcriptio et vires ex anglico idiomate in latinum conuerſae ſiſtuntur, figurae maximam partem ad naturale exemplar emendantur, floris fructusque partium repraeſentatione augentur, habitus externi notae propriae adduntur et omnes ſpecies probatis botanicorum nominibus illuſtrantur. Centuria III et IVta. Cum praefatione D. CHRISTOPH. IACOBI TREW. Excudit, figuras pinxit atque in aes incidit *Nicol. Frid. Eiſenbergerus.*

Multae et frequentes de hoc opere motae aeque ſunt ac mouentur querelae, non quod iconum, naturae vtique reſpondentium, indolem et explicationis additae ſingularem attinet integritatem, ſed quod moram editionis concernit. Quum enim anno huius ſeculi quinquageſimo prima prodi-

prodiret centuria *, ſecunda autem quarto demum anno poſt **, et nunc ſeptimo eiusdem ſeculi anno tertia ſubſequeretur, quarta autem hoc ſexageſimo prelum relinqueret, fieri vtique non poterat, quin vani iniqui rerum iudices male ferrent retardatam per longum temporis ſpatium editionem. Neminem autem eſſe confidimus, aegre hanc moram laturum, niſi qui nolit, quaenam in eiusmodi opere conficiendo atque perficiendo requiratur cura atque ſtudium, intelligere. Haec autem in centuriae ſecundae recenſione momenta ſupra iam adduximus, vberius, in quibus acquieſcere poſſint, idonea veritatem aeſtimantes ratione, illa expoſuit tertiae centuriae addita in praefatione Ill. TREWIVS, cuius eadem adhuc ſunt in continuatum opus ac in inceptum merita. Eius enim ſollicitudine nouae plantarum icones vel floris fructusque meliores delineationes adiectae fuerunt, quod ex tertia centuria inter alia, Abietis, Tuſſilaginis, Petaſitidis, Sedi minimi, Geniſtae, Ariſtolochiae, Staphiſagriae exempla doceant, noua plane acceſſit figura Dracontii ſeu Ari ſic dicti polyphylli, ſubtiliorumque partium, in flore latentium. Permultae hic ex plantis epiphylloſpermis proponuntur, aliquae ex vmbellatis, plures Ribeſii ſpecies; inter Menthae etiam ſpecies illa, quam piperatam vocant, delineatam et auctam iconibus inuenimus.

In quarta porro centuria, quum ſimillima ſint omnia, nec eiusmodi deficiunt exempla, ex quibus comprobare poſſemus iis, qui hanc editionem poſſident, ob retardatam in lucem emiſſionem, multum accreuiſſe vtilitatis, in primis, ſi certiſſimum eſt, in perfectiori reddito ſtudio botanico talibus opus eſſe diſtinctionis notis, quae vnam ab omnibus reliquis cognitis diſcernant plantam. Hic itaque

* vid. Comment. noſtr. Vol. II. P. I. p. 73.
** Ibid. Vol. VI. P. I. p. 146.

denuo, vix non omnibus, quibus potiri poterat Ill. TREWIVS, plantis adiicere curauit florum fructuumque partes, vt ex permultis in Anonide, Alcea, Stramonio, Salice, Caſtanea, Coffea, Goſſypio, aliisque videre eſt. Praeter filicinas, muſci varii occurrunt, et exoticorum aromatum icones, nec non corallia, rubrum et album; ſingulari etiam delineatione agni ſcythici fabula exponitur. Haec ad icones pertinent, poſſemus aeque multa ex deſcriptionibus plantarum exempla repetere, quo euincamus, botanicis atque rei herbariae amicis hoc opus gratum atque vtile redditum fuiſſe, ſubſiſtamus autem nunc in corallii deſcriptione, cuius non ſolum ex MARSILLIO Tab. 341. b. delineationes repetitas videmus. ſed etiam in textu omnem eius hiſtoriam et diuerſas auctorum ſententias explanatas. Alii nempe ad regnum vegetabile eadem pertinere credunt, alii autem ob ſingulares ibidem repertos vermes vel polypos animalculorum habitacula adſumunt; de agno ſcythico recte notatur, antiquorum deſcriptiones fabulam eſſe, delineatio autem, hic exhibita, ad exemplar aliquod facta eſt, ſocietati regiae Londinenſi transmiſſum. Vno verbo, diſtinctiones notarum, in plantis vbique, vtiliter ſi fieri potuit, cum aliorum obſeruatis comparatae ſiſtuntur.

Recedere tamen hic nolumus, quin tandem moneamus, delineationes quintae ſeu vltimae centuriae Blackwellianae omnes iam paratas et euulgatas eſſe, aliqua tantum de textu deficere propediem addenda. Neque a ſuo receſſit Ill. TREWIVS promiſſo, ſed eodem adhuc ſtare decreuit, quod in primae centuriae praefatione dederat, addendae ſcilicet appendicis, ſeu ſupplementi, in quo non ſolum omnes, in officinis pharmaceuticis vſitatae plantae occurrant, quarum mentionem non fecerat BLACKWELLIA, vt ea propter completum aliquod planta-

plantarum officinalium opus exſiſtat, ſed eae addantur etiam, quarum ſpecies aliae in vſum receptae fuerunt, ac iam notatae. Has lunulae nota ☽ diſtinguet, et omnes ad naturae exemplar proponentur, quae vero ex aliorum iconibus, depromentur, aſteriſcus * deſignabit. Porro adducentur aliquae, quae ſingulari inſeruiunt et oeconomico quoque vſui. Tandem autem plantarum venenatarum nonnullarum imagines ſiſtentur, quippe quarum cognitione medicus egere non poteſt, et ob multiplices alias rationes bene diſtinguendae veniunt. Sunt enim ex his, noxia qualitate et virtute imbutis plantis aliquae, quae cauta applicatio interno etiam vſui idoneas reddidit, fauſto cum ſucceſſu, vt certis oppoſitae morbis iisdem feliciter medeantur et in ſalubrem abeant medicinam. Aliae, interne ſumtae, ſemper noxiae, ſine incommodo et bonis ſubſequentibus effectibus, extus adhibentur. Aliae tandem, etſi medica quadam virtute ſeſe nondum commendent, venenatam tamen ſuam poteſtatem vel totae, vel in quibusdam partibus produnt, ſi intempeſtiue adſumtae, vel alimentis intermixtae fuerint, a quibus, quam primum aliquam earum cognitionem acceperimus, abſtinere et tutius nos cauere poterimus. Ex quibus certe rationibus luculenter apparet, eiusmodi plantarum cognitionem et maxime neceſſariam et appendicem hancce eam ob rationem commendandam eſſe. Huius quoque ſupplementi aliquae icones depictae iamiam atque cum vltimo huius herbarii edito faſciculo euulgatae ſunt, quarum integrum catalogum hic exhibere non dubitamus, quum in addita quadam notitia illum adducere libuerit Cl. Editori.

Sunt vero ex officinalibus plantis, a Blackwellia nondum editis, hae potiſſimum huc relatae.

1. *Abro-*

1. *Abrotanum mas.* 2. *Abſinthium ponticum.* 3. ✻ *Acmella zeylanica.* 4. *Acmella germanica ſeu Verbeſina.* 5. *Atriplex ſylueſtris officin. chenopodii ſpecies.* 6. *Atriplex hortenſis alba.* 7. *Anethum.* 8. *Arnica.* 9. *Ariſtolochia ſ. Fumaria radice caua.* 10. *Ariſtolochia ſ. Fumaria radice non caua.* 11. *Been rubrum ſ. Limonium maritimum maius.* 12. *Bellis hortenſis fl. rubro pleno.* 13. *Branca vrſina ſ. Sphondylium.* 14. *Bryonia alba baccis nigris.* 15. *Caiaputi ſiliquae.* 16. *Carlina.* 17. *Carui ſ. Carum.* 18. ✻ *Caſcarilla.* 19. *Chamaemelum romanum.* 20. *Chamaepitys.* 21. ✻ *China chinae* 22. *Cicer ſatiuum flore et fructu albo et rubro.* 23. ✻ *Contrayerua.* 24. *Cucurbita ſ. Pepo vulgaris flore luteo.* 25. *Cucurbita flore albo.* 26. *Cuſcuta.* 27. *Cyperus rotundus.* 28. *Daucus ſylueſtris.* 29. ☽ *Doronicum auſtriacum.* 30. *Gentiana flore luteo.* 31. *Gramen caninum.* 32. *Helleborus albus flore viridi.* 33. *Helleborus niger ferulaceus adonidis ſpecies.* 34. *Helleborus niger flore roſeo vulgaris.* 35. *Helleborus ſtyriacus.* 36. *Helleborus orientalis.* 37. *Hellebrous ſtyriacus flore viridi maior.* 38. *Helleborus ſtyriacus flore viridi minor.* 39. *Herba Coſtae, hieracii ſpecies.* 40. *Hyoſcyamus niger.* 41. ✻ *Ipecacuanha.* 42. *Iuiubae.* 43. ☽ *Laureola baccis rubris.* 44. *Lichen petraeus.* 45. *Lupulus mas.* 46. *Lupulus femina.* 47. *Lycopodium ſ. muſcus terreſtris.* 48. ✻ *Mechoacanna alba.* 49. *Meliſſa turcica.* 50. *Meum.* 51. *Nigella aruenſis et hortenſis.* 52. *Ninzin ſ. Ginſeng chinenſe.* 53. ✻ *Ninzin iaponicum.* 54. *Numularia.* 55. *Oelsnitium ſ. Thyſſelinum.* 56. *Origanum creticum.* 57. ✻ *Pareira braua.* 58. *Peucedanum.* 59. *Pimpinella hircina minor.* 60. ☽ *Populus alba.* 61. *Pſyllium perenne.* 62. *Pyrola rotundifola.* 63. ✻ *Rhabarbarum chinenſe.* 64. *Rhodia radix.* 65. ☽ *Rhus ſ. Sumach.* 66. ☽ *Satyrium vulgare.* 67. *Scilla.* 68. ✻ *Senega radix.* 69. *Senna.* 70. *Sideritis offic.*

71. *Sol-*

71. *Soldanella alpina.* 72. ☽ *Stoechas citrina.* 73. ☽ *Taraxacum.* 74. *Tribulus aquaticus.* 75. ✻ *Vanilla* 76. ☽ *Verbaſcum album ſ. mas.* 77. *Victorialis longa, allii ſpecies.*

Sequentur deinde ex plantis, non vulgaris vſus: 78. *Ananaſa.* 79. *Balſamina.* 80. *Mays ſ. frumentum turcicum.* 81. *Melanzana.* 82. *Momordica.* 83. *Phellandrium.* 84. *Salicaria ſ. Lyſimachia rubra.* 85. *Scutellaria ſ. Tertianaria.* 86. *Solanum tuberoſum.*

Agmen tandem claudent ex noxiis et venenatis vegetabilibus· 87. *Aconitum luteum ſeu lycoctenum.* 88. *Aconitum magnum ſeu Napellus.* 89. *Aconitum ſalutiferum ſeu Anthora.* 90. *Beidelſar ſeu Apocynum Syriacum.* 91. *Belladonna.* 92. *Cicuta minor.* 93. *Cicuta aquatica.* 94. *Colchicum.* 95. *Lauro-ceraſus.* 96. *Nerium flore rubro et albo.* 97. *Oenanthe chaerophylli folio.* 98. *Phytolacca Americana.* 99. *Ranunculus Flammula dictus.* 100. *Taxus.*

X.

Hamburgiſches Magazin oder geſammlete Schriften aus der Naturforſchung und den angenehmen Wiſſenſchaften überhaupt. Hamburg und Leipzig, bey Georg. Chriſt. Grund und Adam Heinr. Holle, 1757. 8. Achtzehnter Band. 1 Alph. 19½ Bog. 3 Kupfertafeln. Neunzehnter Band. 1 Alph. 19 Bog. zwanzigſter Band. 1 Alph. 20 Bog. 3 Kupfertafeln. Ein und Zwanzigſter Band. 1 Alph. 19 Bog. Zwey und zwanzigſter Band. 1 Alph. 19½ Bog. 1 Kupfertafel.

i. e.

Promtuarium Hamburgenſe ſiue collectio ſcriptorum ad phyſicam humanioresque litteras ſpectantium. Vol. XVIII. XIX. XX. XXI. et XXII.

In recenſendis iſtis voluminibus occupati eorum tantum ſcriptorum, quae primum edita ſunt, recenſiones exhibebimus; reliqua enim in aliis ſcriptis paſſim reperiunda et a nobis iam recenſita, ſilentio praeterire non dubitamus.

p. 164. Vol. XVIII. Part. II. n. 4. *Experimenta, ope ignis et ſpeculi Tſchirnhauſiani cum nonnullis lapidibus pretioſis inſtituta* communicat Cl. SCHVLZE. Experimenta, quorum mentio hic facta eſt, ad adamantem tantum, rubinum et ſmaragdum pertinent. Adamas vaſi idoneo et bene clauſo incluſus perque viginti quatuor horas forti igne tractatus ne minimum quidem ſui veſtigium reliquit ſed penitus euanuit. Idem radiis ſolaribus, in vnum punctum collectis, expoſitus, multo minus, quam reliqui lapides pretioſi, reſiſtens poſt paucum tempus colorem album induit, tandem in innumera fruſtula vndiquaque diſſiluit. 2) Rubinus, vaſi incluſus et per viginti quatuor horas in forti igne detentus nullam plane mutationem ſubiit ignique ſolari concentrato diu reſiſtens ponderis quidem iacturam, ſed minus notabilem, paſſus eſt, interdum autem, ſed non niſi per aliquod tempus in foco detentus, colorem amiſit aliumque, albicantem turbidum maculisque nigris ſtipatum, induit verſiculisque, in ſuperficie prius obortis tandem inaequalis et aſper euaſit. 3) Tandem Smaragdus, radiis iſtis collectis expoſitus, poſt paucum tempus album colorem induit, pauloque poſt fuſus et ab igne remotus multo mollior ac antea euaſit.

Part.

Part. III. n. 2. De morbo quodam notatu digno, p. 253.
quo ruſticus ſedecim annorum afflictus fuit, mentionem fecit Anonymus quidam. Scabie nimirum retropreſſa omnes articulationes in dicto iuuene inſignem mutationem ſubierunt, ita, vt motu vel minimo ſuſcepto, articulationes motae crepitarent inſimulque inſigniter dolerent. Vitium hoc in glandulis HAVERSII obſtructis Noſter quaerens decocta diluentia et eſſentias reſoluentes propinauit, quibus per aliquot tempus vſurpatis tandem vnguentum mercuriale affricandum curauit, quo per tres ſeptimanas continuato absque vlla fere ſaliuatione aegrotus in integrum reſtitutus eſt.

Vol. XIX. Part. III. n. 5. Breuem narrationem p. 298.
de diuerſitate marmorum inprimis eorum, quae in Saxonia reperire licet, exhibet Cl. SCHVLZE. Marmor ad calcariorum lapidum genus pertinens ab his non ſolum ratione duritiei et ſplendoris, in politura acquirendi, ſed et intuitu colorum diuerſorum et variegatorum ſe diſtinguit. Ipſa autem marmora ratione coloris vel in marmora ſimplici colore praedita, vt alba, cinerea, nigra etc. vel in variegata diuidi poſſunt. Haec vel colore principi praedita ſunt, vel absque tali reperiuntur. Priora vel ſimpliciter tantum mixta occurrunt et ſunt maculata, vt marmor album cum maculis nigris, nec non ſtriata ſeu venis diſtincta, vt marmor album cum venis rubicundis, vel tandem diuerſimode mixta deprehenduntur atque maculis et ſtriis ſimul donata ſunt, vt marmor colore carneo cum venis albis maculisque flauis ſtipatum. Poſterioris generis marmora, nullo ſcilicet colore principi praedita vel vno tantum mixtionis genere donantur et ſunt maculata, vt marmor maculis albis, nigris et flauis; dein ſtriata ſeu venis diſtincta, vt marmor ſtriis albis et coeruleſcentibus, tandem marmora vndulata

lata, vt marmor coeruleſcente, viridi et albo colore vndulatum, vel diuerſo mixtionis genere occurrunt et ſunt maculata et ſtriata ſimul, vt marmor maculis flauis et albis venisque nigris; dein vndulata et maculata, vt marmor albo et obſcure flauo colore vndulatum cum maculis nigris; porro vndulata et ſtriata, vt Marmor albo et cinereo colore vndulatum, cum venis rubris et pallide flaueſcentibus; tandem vndulata maculata et ſtriata ſimul, vt marmor coeruleſcente et albicante colore vndulatum cum maculis venisque intenſe rubris diſtinctum. Marmorum tandem figuratorum vnicum tantum in Saxonia Noſter reperit, hocque colore viridi praeditum nigrisque arboris figuris percurrentibus diſtinctum in ditione quidem Waldheimenſi conſpicitur, ſed raro occurrit.

p. 438. *Vol. XIX. Part. IV. n. 7. Offeam ſubſtantiam in oculo humano repertam* deſcribit Cl. IOH. GOTTFR. ZINN. Haec ſubſtantia in poſteriori oculi parte ad ingreſſum nerui optici inter tunicam choroideam et ſcleroticam originem duxit ſeque ad pupillam vsque extendit annulumque inaequalem repraeſentauit. In anteriori oculi parte, inque cornea quidem, duplex apparuit cicatrix, ita, vt pupilla fere deſtructa et mutata cum cornea, vndiquaque perforata cumque adiacente parte ſcleroticae arcte connecteretur. Ex quo itaque, teneras etiam et nobiles partes, qualis oculus eſſe ſolet, ab eiusmodi indurationibus non immunes eſſe, liquet.

p. 3. *Vol. XX. Part. I. n. 1. Dubia ſuper petrificatione renis in corpore humano* communicat Cl. TITIVS. In peculiari nimirum ſchediaſmate Cl. MAVL, Medicus Eiſenbergenſis, renis cuiusdam mentionem facit, quem in corpore quodam diſſecto reperit et pro petrefacto rene habuit. Verum re iſta accura-

accuratius penſitata et aquae pondere cum lapidum, nec non etiam oſſium pondere ſpecifico comparato, Noſter proinde, renem iſtum non in lapidem, ſed in ſubſtantiam oſſeo-lapideam mutatum eſſe, coniicit. Licet enim negandum non ſit, veram materiem lapideam in corpore hinc inde detegi poſſe, integram tamen partem in lapidem mutari veriſimile vix vnquam videtur. Deponitur quidem in partibus, inprimis renibus, materies lapidea, ſed haec ipſa canales tandem obſtruit et imperuios reddit, partes vero aut fibras muſculoſas minime eo diſponit, vt veram inducant lapideam indolem. Cum enim alia ſit natura lapidum atque alia partium carnoſarum, fieri ſane nequit, vt hae ipſae in materiem plane contrariam, vt lapidis eſt, ſed in talem, quae non adeo abludit, commutari poſſint. Cum autem in vaſa renum ſaepe deponatur materies lapidea, accidit deinde, vt, ſi alia inſimul cauſa, renis ſubſtantiam carnoſam immutans, obueniat, iſtud proinde viſcus in ſubſtantiam oſſeo-lapideam, nunquam autem in lapidem ſolidum conuertatur. Carnoſas vero fibras in oſſeam ſubſtantiam transmutari poſſe, ipſa natura oſſis demonſtrat, quippe quod in principio ſubſtantia mollis, dein gelatina, tum cartilago, tandem os fit et aeque, ac muſculus, ex fibris et vaſis conſtat, inde, cauſa quadam contingente, muſculi ſeu carneae fibrae mutatio in os non adeo difficilis eſſe ſolet. His itaque argumentis Noſter perſuaſus, lapides quidem in partibus reperiri, concedit, integras autem partes in lapides mutari poſſe, negat.

Vol. XX. Part. IV. n. 3. *De generatione ver-* p. 424.
mium in corpore humano diſſerit Cl. MÜLLER. Licet lis de generatione vermium in corpore humano inter auctores compoſita adhuc non ſit, plurimi tamen in eo conueniunt, vt vermes omnes, ſiue

generentur in corpore ſiue ab extra in iſtud introducantur, inſectis ouiparis, nec vnquam viuiparis annumerandi ſint. Verum huic opinioni, vt plurimum receptae, obſeruationem anno 1750 oppoſuit Cl. ZAMPONI, qua demonſtrare anniſus eſt, vermes et inprimis ſic dictos lumbricos in corpore humano ceu inſecta viuipara conſideranda eſſe. Accidit enim, vt, cum infanti cuidam ad expellendos vermes remedia propinaſſet, inter expulſos vermes vnus deprehenderetur, qui inter inſignes motus craſſum et excrementitium humorem cumque eo ſimul ſenſim ſenſimque viginti octo vermiculos viuos, albos admodumque teneros deiiceret, vermibus, qui in ceraſis deprehenduntur, per omnia ſimiles. Inde iſte, obſeruatione hac fretus, lumbricos corporis humani non ad claſſem ouiparorum, ſed viuiparorum, accenſendos eſſe, arbitratus eſt. At vero audiamus Noſtrum, argumenta huic viro opponentem, quae a veritate non adeo aliena eſſe videntur. Obſeruationem quidem Noſter non negat viuosque vermes a lumbrico iſto excluſos fuiſſe concedit, an vero iſti vermiculi ſoboles lumbrici vere fuerint, dubia omnino res eſt. Cum enim humor iſte copioſus, a lumbrico deiectus, excrementitius fuerit, huncque inter inſignes cruciatus et quidem maxima in copia deiecerit, vermiculi vero matri ſimiles viſi non fuerint, Noſter ea propter minima iſta inſecta vermes ipſius lumbrici fuiſſe, huncque diarrhoea verminoſa laboraſſe, concludit, idque inſuper aliorum obſeruationibus confirmat, quibus oſtenditur, dari inſecta permulta quae aeque, ac alia animalia, innumeris aliis inſectis ſeu vermibus ſcateant. Niſi itaque haec a Cl. ZAMPONI communicata obſeruatio aliis certis et microſcopicis quidem confirmetur obſeruationibus, res ſane vel dubia manet, vel opinioni eorum,

qui

qui lumbricos viuiparis annumerant, non adeo aduerſari videntur.

Quod ad vigeſimum primum et vigeſimum ſecundum Volumen attinet, ea ſane ita comparata ſunt, vt nihil quidquam decerpere licuerit; ſiquidem vel nos non tangunt, vel a nobis recenſita iam hinc inde proſtant.

XI.

Anatomiſche, chirurgiſche und mediciniſche Beobachtungen und Unterſuchungen von ZACHARIAS VOGEL, *der ausübenden Arzneygelahrheit und Wundarzney Doctor. Roſtock, verlegts Iohann Chriſtian Koppe,* 1759. 8 m. *Alph.* I. *Bog.* 6. *mit* 11 *Kupfertafeln.*

h. e.

Obſeruationes et disquiſitiones anatomicae, chirurgicae et medicae Auctore ZACHARIA VOGEL. M. D.

Ante aliquot annos Cl. Auctor hiſtorias externorum internorumque morborum ediderat *, cum itaque cognouiſſet, eas beneuole exceptas fuiſſe, ſtudium aliis inſeruiendi, eum non tantum ad medicinam vtramque diligenter faciendam impulit, ſed et occaſionem praebuit nouis obſeruationibus colligendis et vlterius elaborandis, quas nunc, et ex parte iconibus illuſtratas, publici iuris fecit. Quinquaginta octo obſeruationes, quae nunc proponun-

 tur.

* *Merckwürdige Kranckengeſchichte und nützliche Erfahrungen aus der Geneßekunſt und Wundarzney von* ZACHARIAS VOGELN. *Erſte Sammlung. Roſtock und Wißmar,* 1756. 8.

tur, maximam partem artem chirurgicam concernunt; egit enim praecipue de tumoribus et vlceribus cancrosis, de herniis spuriis et veris, de nonnullis penis morbis, de carie, de fistula lacrymali, de laesionibus capitis et caluae fracturis, paucis tantum obseruationibus, ad anatomen et praxin clinicam pertinentibus, interspersis. Nos omnes verae et rationali medicinae respondentes deprehendimus, quarum ex instituti nostri ratione, quo ideam operis exhibeamus, nonnullas nunc breuiter indicabimus.

p. 1. Ad cancrosos tumores describendos primo se conuertit, et in prima obseruatione, quae tumorem talem in gibbosa per compressionem arctioris thoracis ortum et feliciter exstirpatum describit, de causis et symptomatibus cancri in genere agit.

p. 10. Occasione tertiae obseruationis, quae tumorem talem ponderis duarum librarum cum dimidia optime separatum describit, methodum operationis breuiter declarat. Reiicit nimirum furcas aliaque instrumenta a variis chirurgis adhibita, et sinistra manu apprehendere et adducere iubet tumorem, quo dextra manu, scalpello recto armata, incisio per integumenta vsque ad musculum perficiatur, scalpello seposito, huius manus indice omne induratum a subiectis partibus deglubit, porro manum sinistram in vulnus immittit, et dextra iterum reliqua integumenta cum tumore praescindit, ligatis tandem vel liquore stiptico tactis arteriis. Monet se hac enchiresi glandulas induratas, sub ipsa clauicula haerentes remouisse. Num semper indice deglubi possint tumores, dubitamus, cum et ipse Cl. Auctor productiones tendinosas inde productas in musculo subiecto radicatas viderit, et obseruatio quarta protuberantiam tumoris foueam musculo pectorali impressisse et fibras eius crispas reddidisse, ostendat

p. 17.

Sepa-

Separauit quidem et hunc tumorem integrum, ſed in loco impreſſionis fungus prodiit qui tamen denuo ſcalpello ſeparatus integram in pectore ſanationem permiſit; alio vero tumore carcinomatico in pudendis oborto et nullo modo coercendo periit aegra.

In quinta etiam obſeruatione tumor, vsque ad glandulas axillares procedens et in icone adiecta adumbratus, apte quidem methodo a Cl. Auctore adhibita ſeparatus fuit, poſt tres autem ſeptimanas et ambitu vulneris iam ad dimidium contracto, protuberantiae variae in muſculo pectorali radicatae propullulabant, quas Noſter, ſeparata ſimul muſculi parte, et cum ex his vna piſi magnitudine et tendini pectoralis inhaereret, et huius parte ſimul remota abſtulit. In examine huius partis ille cognouit, particulas albas, quaſi arenoſas inter ipſas muſculi fibras diſſeminatas fuiſſe. Curatio vulneris ex voto quidem ſuccedere viſa eſt, ſed cum Cl. Auctor illam non abſoluere potuerit, maxime dubitamus virus cancroſum prorſus ablatum fuiſſe. p. 23.

Obſeruatio etiam ſeptima, quae de exſtirpatione cancri exulcerati in labio inferiori agit, recrudeſcens malum declarat. Scirrhus nimirum ceraſi magnitudine, a mala canini et molaris primi dentis conformatione ortus, inepta medendi ratione in carcrum apertum mutatus fuerat. Euulſis dentibus, ſectione ad angulum oris triangulari facta, tumor quidem remouebatur, et methodo in curatione labii leporini aſſumta conſolidabatur, ſed poſt aliquot ſeptimanas in glandula parotide et maxillari coniuncta tumor durus inſignis magnitudinis oriebatur, quem cum Noſter ſectione tollere non poſſit, cauſſam lethalis ſuffocationis fuiſſe percipimus. p. 32.

Ad varias hernias inprimis ſpurias nunc progreditur in hydrocele ſeu potius hydrope ſcroti particulari, hoc ſcilicet tumente et multis veſiculis albis obſeſſo emplaſtrum veſicatorium applicauit, quod p. 37.

veſicam continuam aqua plenam effecit, ex qua inciſa multa aqua effluxit, quo facto epithema ex herba arnicae, ſapone veneto et aqua calcis viuae, non neglecta medela interna, applicauit, et intra octiduum ſcrotum iterum contractum apparuit.

p. 40. Ex vera hydroceles ſpecie, in tunica vaginali vaſorum ſpermaticorum haerente, inciſione per integumenta facta, et ſacco aquoſo, digitis non nihil ſeparato, paulo poſt inciſo, aquas eduxit, ſaccum ipſum poſtea caute a chorda vaſorum ſpermaticorum ſeparauit, et applicato linimento ex vino, ſapone veneto et myrrha, et epithemate diſcutiente vniuerſo ſcroto addito optimam ſanationem praeſtitit. Praeſtantior omnino eſt haec medend via, quam ea, quae ſola punctura cum acu triquetra, vel applicato ſetaceo perficitur, niſi enim ſaccus aqua diſtentus ſeparetur, ſola ſuppuratione ſubſequente ille non remoueri poteſt. In ſequentibus etiam et hydroceles et ſarcoceles operationibus, ſimili enchireſi praeſtandis, monet digeſtiua pinguia, ſuppurationem alias adiuuantia, non applicari debere.

p. 55. Spermatocelen in epididymide natam, ex ſuppreſſa gonorrhoea ſaepe oriundam, applicatis cataplaſmatibus emollientibus et diſcutientibus, nec non vſu internorum remediorum diſcuſſit reſtituta per haec medicamenta gonorrhoea; cum vero in aegro, regulas diaetae negligente, malum recrudeſceret, mercurialibus medicamentis et interne et externe cum frictione adhibitis, non neglecto etiam roborantium vſu, ſanationem perfecit.

p. 79. Interiectis nonnullis obſeruationibus, ad ſarcocelem pertinentibus, aliam addit, ſpermatoceles ſpeciem, totum teſticulum occupantem. Haec, ab obſtructo vaſe deferente orta, non niſi teſticuli exſtirpatione ſanari poterat. Examen teſticuli ſeparati ſuſcipiens ſequentia potiſſimum annotauit. Vaſa ſpermatica deſcendentia ſana et nodis deſtituta

inue-

inueniebantur, vas deferens vero durum et plane obſtructum; epididymis triplo maior et indurata omnibus in vaſis caſeoſa materia repleta; albuginea membrana alba, ſed ob extenſionem tenerrima erat, ſubſtantia interna teſticuli medulloſa cerebri ſubſtantiae non nihil ſimilis, celluloſo contextu ita ſoluto, vt ſpermatica et lymphatica vaſa medulloſam ſubſtantiam intercurrerent, et illa in glomerulos alias conuoluta, ita ferme diſſoluta apparebant, vti maceratione in aqua praeparari ſolent.

In ſequenti decima ſexta obſeruatione ſarcoce- p. 82.
lem exſtirpatam deſcribit, eiusque anatomen et iconem addit. Carnoſa tunica in craſſitiem ſemipollicis excreuerat, inter hanc et teſticulum variae collectiones aquoſae et vlceroſae, teſticulum erodentes, inueniebantur, epididymis magnitudine aucta et marmorea, funiculus vaſorum ſpermaticorum ad confinia teſticuli ferme euanuerat, craſſus tamen et nodoſus in parte ſuperiore, vbi non niſi difficulter ſeparari poterat, et poſtquam denuo fungum, acri ichore ſcatentem, generauerat, altera vice prope annulum ſeparari debuerat, vas deferens non detegi potuit, teſticulus ipſe diſſectus ſubſtantiam ex albo, rubro et luteo variegatam referebat, membranae inter vaſa excurrentes craſſae et albae, ſanguifera et lymphatica vaſa rubicunda, glomeruli autem vaſorum ſpermaticorum flaui apparebant.

Deſcriptionibus his partium morboſe mutata- p. 87.
rum ſubiungit ſuccinctam tractationem de fabrica teſticuli, eamque cum obſeruationibus recentiorum anatomicorum comparat, et iconem teſticuli cum vaſis ſperma praeparantibus maceratione euolutis, nec non epididymidis mercurio repletae, addit.

Obſeruatio decima octaua penis amputationem p. 99.
deſcribit. Pertinax vrinae retentio, calculo adſcripta, variis tentata fuerat remediis internis, re accuratius diſquiſita, phymoſis aderat per fungoſas glandis

excreſcentias maxime moleſta reddita, cum inflammatione inſigni penis. Praeputio inciſo et fungo remoto, vrina apte procedebat, fungi tamen, neglecta glandis munditie, recrudeſcebant, et amputationem membri neceſſariam reddebant, quae leni attractione et ſimultanea ſectione, ligatis poſtea arteriis, perficiebatur, vrethra cannula muniebatur, ſuccedebant tamen tenſio partium et rigor penis, donec cum vrina magna ſpermatis vis effluxiſſet, qua aeger maxime debilitabatur, partes tamen poſtea ſanationem admittebant, et aeger viribus reſtitutis conualuit.

p. 112. Scrotum valde extenſum et durum a calculo, ad collum veſicae haerente et vrinae effluxum impediente, obſeruatione vigeſima deſcribitur. Vrinae retentio ex hac cauſa nata, per quatuor iam ſeptimanas durauerat, liquor itaque hic excrementitius, ſtaſi corruptus, in ſcroti integumenta eiusque celluloſam membranam penetrauerat, eiusque ambitum ita auxerat, vt nec teſticuli diſquiri, nec penis conſpici poſſent, ſuperficies ſcroti, epidermide ſecedente, non tantum colorem obſcure rubicundum oſtendebat, ſed foramina exigua vbique diſſeminata foetidum, vrinae corruptae ſimilem, humorem plorabant. Inciſio in vtrumque ſcroti latus facta effluxum huius humoris quidem accelerabat, ſed lente tantum, ita vt et internis medicamentis et externis fomentis aeger conſeruandus eſſet, donec poſt aliquot ſeptimanas penis appareret, et ſpecillum, in vrethram immiſſum, cauſam huius morbi, calculum nimirum detegeret et pro parte remoueret. Detumeſcebat interim ſcrotum reliquaque calculi portio ad collum vrethrae haerens eximebatur, teſticuli interea illaeſi remanſerant, et poſt ſex ſeptimanas ſeparatio corrupti et conſolidatio vulneris ita perficiebatur, vt vera vrinae via reſtitueretur, et aeger ſanus redderetur.

In

In ſequenti obſeruatione calculum, incifione facta, ex collo veſicae extractum declarat Noſter et ad varias ſpecies herniarum deſcribendas progreditur. Poſtquam in vigeſima ſecunda obſeruatione varia herniae cruralis minoris incarceratae ſymptomata, in greſſu impedito, tenſione abdominis et aliis multis v. c. vrinae ſanguinolentae incommodis, propoſuit, in ſequenti hernias reponendi rationem declarat, et linimentis emollientibus prius applicatis, maſſam ex farina ſeminis lini, ex qua oleum expreſſum eſt, noſtri *Leinkuchen* dicunt, in lacte coctam, optimi cataplasmatis loco ſuper haberi iubet, quo elapſa in veram ſedem reducantur, additis tamen poſt peractam repoſitionem, quo relaxationi partium mederi poſſit, epithematibus roborantibus. Repoſitionem etiam herniarum poſt fomenta externa applicata et clyſmata crebrius iniecta dato leni vomitorio ex ipecacuanha adiuuit, hoc tamen in recenti herniae ſtatu, et tunc quoque ſumma cum attentione perfici debere illico patet. Cl. Auctor enim in operatione vomitorii praeſens fuit, omnia caute direxit, et repoſitione praeſtita cardiacis medicamentis vomitum compeſcere tentauit.

p. 122.

p. 141.

In vigeſima quarta obſeruatione magna entero-epiplocele deſcribitur. Deſcendens nimirum omentum ſanum et pingue, peritonaeum in faccum hernioſum diſtendens, ipſum quoque in forma ſacci diſtentum erat et inteſtini partem, ex abdomine egreſſam, recipiebat, inteſtinum facile reduci poterat, omentum vero accreuerat, et licet hernia ſuſpenſorio ſuſcipi potuiſſet, operationem tamen vrgebat aeger. Ex operatione peracta haec potiſſimum monenda ſunt: prope annulum praecipue leuabat ſaccum hernioſum, antea, quantum fieri poterat, a ſcroto ſeparatum, quo vinculum ex lineis filis textum ibi transiicere et ita ſaccum ſimul cum omento conſtringere poſſet. Reſecta omenti

p. 147.

portio ſana erat nec ſanguinem plorabat, et libras duas cum ſemiſſe excedebat. Ligaturam poſt triginta ſex horas et poſt triduum arcte ſemperque arctius adſtringebat Cl. Auctor, quam methodum conſuetae omenti ligaturae praeferre videtur. Num ſimili ratione praeſtari poſſit ligatura, ſi vaſa omenti non nihil varicoſa ſunt, dubitamus.

p. 155. Obſeruatio vigeſima quinta calculum ex fellea veſicula extractum declarat. Icterus flauus primo, poſtea niger cum febre acuta coniunctus, poſt varios febris quartanae inſultus acceſſerat, ſed febre ceſſante cachexia bilioſa remanebat; praeterea ad apicem quartae coſtae ſpuriae hypochondrii dextri tumor apparebat, qui veſiculam felleam vehementer extenſam et cum peritonaeo coalitam referebat, ſine omni tamen inflammatione et abſceſſu. Re accuratius diſquiſita et penſitata Noſter integumenta primum, et, fibris muſculoſis non nihil remotis, peritonaeum et veſiculam felleam ſimul incidebat, et poſt effluxum bilis corruptae, ſpecillo immiſſo calculum detegebat, orificium ductus biliarii obſtruentem, hunc itaque forcipe tenui apprehendebat et educebat, quo facto, et bilis via libera reddita, aegro ſanitas priſtina reſtituebatur, et con-
p. 162. ſolidatio vulneris ex voto ſequebatur. In alio aegro ducenti calculi biliarii ex veſicula fellea per cholodochum in inteſtina emoti et tandem per anum expulſi fuerunt; ſymptomata aegri et medendi ratio copioſe deſcribuntur.

p. 191. In infantibus trium vel quatuor annorum neglectum aluinae excretionis ſudores nocturnos inducere, et debilitato ſic corpore decubitum irregularem in lectulis nimis mollibus variam incuruationem ſpinae et gibberoſitatem inducere poſſe Noſter obſeruatione vigeſima octaua confirmat, et methodo medendi ex his indicatis collecta, mutatisque diaetae erroribus curationem praeſtari poſſe affirmat.

Inter

Inter alia auxilia, epithema ex pane, cum aromaticis plantis parato et cocto, ſpinae dorſi applicare ſuadet, cuius quippe vapore moderata vis neruina praeſtatur.

Maxillam inferiorem retrorſum luxari haud poſſe multi perhibent, in obſeruatione tamen trigeſima prima Noſter docet, eandem aliquoties vere eueniſſe, cauſam fere ſemper eſſe methodum haud probandam relaxationi vuulae medendi, qua faſciculus pilorum in vertice vehementer attrahitur, aegro interea dentes fortiter comprimente et ter deglutionem validam exercente quo muſculi vuulam dirigentes adſtringantur, per hunc enim motum muſculi maxillae inferioris quoque conuelluntur, et haec non nihil retrorſum cedit, id quod ex prominentia dentium ſuperiorum vere cognoſcitur. Puella igitur, in qua, ex ſimili cauſa, maxilla vel retrorſum luxata vel non nihil dimota erat, muſculos omnes duros et ſpaſtice contractos offerebat, ita vt nec ſpecillum inter dentes dimitti poſſit, Noſter itaque eidem per plures horas linimenta et epithemata emollientia affricari iuſſit, quo ſpaſmus leniretur, paulo poſt aegram in paruo ſedili vel in terra ita collocauit, vt dorſum eius ad crura, caput inter genua, firmiter ſuſtineretur, brachiis per famulum retentis, ipſe vero pollices ſuos ſuper condylos vtrinque, volam manus ſub angulos maxillae firmiter applicauit, et primo blande, poſtea fortiter deprimendo, tandem etiam ſuccuſſibus aliquot feliciter tentatis maxillam iterum in veram ſedem reduxit et quiete ſeruata et fomentis roborantibus applicatis maxillam ſine faſcia in ſitu ſuo retinuit. Egregiam hanc medendi rationem aliis imitandam et perficiendam commendat, et illos non ſine ratione taxat, qui ſpeculo oris applicato dentes fortiter compreſſos diducere tentant, cum triſtiſſimos abinde effectus oriri cognouerit. p. 217.

Poſtquam

Poſtquam Cl. Auctor de dentium morbis et de remediis interne et externe applicandis nec non de inſtrumento, ad euellendos dentes apto, diſſeruit,

p. 238. varias de carie ſuperioris et inferioris maxillae ex minus felici dentium euulſione et inepta inflammationis curatione oriunda, obſeruationes proponit, ex quibus ſatis apparet, quam negligenter ſaepe haec chirurgiae pars tractetur.

p. 263. Naeuos maternos cum cute craſſiore et piloſa reddita, cauſtico remedio, ex ſapone veneto et calce viua parato, ſeparari et ſuppuratione ſubſequenti tolli poſſe, olim iam oſtendit Cl. Auctor, nunc hanc medendi rationem nouo exemplo confirmat, et ſimul monet, in naeuis ſic dictis ignitis, in quibus ſanguis copioſius in vaſa cutanea congeritur, eandem locum non habere.

p. 269. Obſeruationes quaedam de cura fiſtularum ſic dictarum lacrymalium in ſequentibus proponuntur et praemiſſa breui partium, per quas lacrymae tranſeunt, deſcriptione cauſisque morbi in genere indicatis, de tribus potiſſimum morbi generibus ſeu potius gradibus agitur, primum ſcilicet ſi ſolummodo ſaccus, in nares hians, obſtructus eſt, ſecundum ſi puncta lacrymalia, quae lacrymas ex interſtitiis palpebrarum reſorbent, vel cum vel ſine inflammatione obſtructa ſunt, tertium ſi in effluxu ſuo impeditus humor lacrymalis acrior factus vicinas molliores partes, immo ipſa oſſa, arrodit et deſtruit.

p. 277. Primi gradus curationem ſequentem habet. Obſtructo ductu naſali et ſacco lacrymali inde tumido facto applicabatur cataplaſma ex puluere radicis conſolidae maioris cum aqua calcis viuae paratum; primum itaque per puncta lacrymalia materia caſeoſa, paulo poſt tenuior albumini ouorum non nihil coagulato ſimilis excernebatur, emollita igitur materia et viis non nihil patentibus aqua ſaccharata cum ſiphone

ſiphone Anelliano in puncta lacrymalia immittebatur, quae quidem, licet per eadem puncta regrederetur materiam tamen viſcidam tenuiorem et ſaccum lacrymalem ipſum abſtergendo molliorem reddebat, quo facto, vapore decocti emollientis et diſcutientis in nares immiſſo orificium ductus naſalis ita diſponebatur, vt lacrymas primo viſcidiores, tandem tenuiores, dimitteret. Externis interea medicamentis oculi inflammatio coercebatur, et interna quoque medicamenta reſoluentia adhibebantur, tandem viis ſatis patentibus compreſſione et medicamentis robur ſacci lacrymalis reſtituebatur.

Huic obſeruationi aliam ſubiungit, quae omnium viarum lacrymalium obſtructionem ſiſtebat, et narium et oculorum exulcerationes coniunctas habebat. Oppoſuit vero his incommodis varia remedia et lento greſſu ad ſanationem quandam peruenit, obſtructio tamen ipſa conſuetis medicamentis non emollienda erat, tentato tandem ſtillicidio aquae frigidae ex infundibulo alte ſuſpenſo ſenſim ſenſimque tumor ita agitatus fuit, vt materia impacta partim per lacrymalia puncta partim per nares eliminari potuerit; monet tamen Noſter impetum guttarum aquae cadentium, a medico moderari debere, prout aeger, qui inde afficitur, eundem vel ab alto vel paulo demiſſiore loco, vel crebrius, vel parcius ferre poteſt. p. 281.

Completae tandem fiſtulae curatio additur. Obſtructus nimirum ſaccus lacrymalis tumorem effecerat, qui emplaſtro applicato motus irritationem partium vicinarum cum eryſipelate faciei contraxerat; poſtquam itaque Noſter eroſiones et inflammationes inde natas apta medendi methodo diſcuſſerat, ſpecillum in vulnus apertum immittebat, quo integumenta eleuare et horum aperturam non tantum ampliare, ſed et ſaccum ſubiectum incidere p. 287.

incidere poſſet. In hunc itaque immiſit paruulum catheterem, quo mediante deſcendendo orificium in nares aperire et fila linea, ſetacei loco adhibenda, per has deducere iisque blanda abſtergentia medicamenta applicari poſſet, ſetaceum, quod in principio difficile, paulo poſt melius trahebatur, orificium ſatis amplum eſſe declarabat. Depuratione ſic facta puncta lacrymalia et ſpecilla et ſiphunculum Anellianum admittebant, remoto nunc ſetaceo, iniectio, in puncta lacrymalia facta, per viam liberam penetrabat et vulnus externum ad conſolidationem diſponebatur. Apparatum inſtrumentorum hac in re adhibitorum, ad Cl. FOREST methodum accedentem, deſcribit Noſter et in tabula appoſita vna cum viis lacrymalibus delineatum ſiſtit. Reiicere itaque videtur perforationem oſſis vnguis a variis chirurgis varia methodo tentatam, quae tamen in carie oſſium et ſacco prorſus calloſo vel exulcerato, ad nouam lacrymarum viam inueniendam omnino neceſſaria eſt.

p. 296. Sequuntur nunc aliquot obſeruationes de haemorrhagia vteri et podagra, in quibus praecipue methodus medendi vniuerſalis Reitzenſteiniana per balnea vaporis, ex herbis aromaticis parata, acriter perſtringitur, et ſimul de electricitatis effectu in podagra minus felici diſſeritur.

p. 237. Obſeruatione quadrageſima ſexta annotationes quaedam de cataracta proponuntur. Aſſumit Noſter Cl. HEISTERI diſtinctionem cataractae in veram et ſpuriam, quarum hae capſulae, illae ipſius lentis vitium ſiſtunt, dum haec vel obſtructa et indurata vel reſoluta eſt. Reſolutio lentis cum dignoſci haud poſſit prius, quam capſula eius fuerit aperta, ipſum operationis euentum non niſi peritiſſimum praedicere poſſe aſſerit Noſter. Porro etiam varias cataractam deponendi methodos et acus, quibus haec perficitur operatio, examinat et temeritatem ocularii

ocularii medici; circumforanei HILMERI quibusdam exemplis enarratis perſtringit. Methodum acu immiſſa cataractam deponendi, vt certiorem, ei praefert, qua lens cornea inciſa extrahitur, cum haec forte non niſi bulbo prominente, cornea maxime conuexa et pupilla ampla exiſtente adminiſtrari poſſit. Tandem duas exponit hiſtorias cataractae, quam ipſe, acu, apice latiuſculo et non nihil obtuſo inſtructa, felici cum ſucceſſu depreſſit.

Interſperſis quibusdam obſeruationibus de febre neruoſa hyſtericis affectionibus comitata; de genitalium tumore oedematoſo ex abuſu purgantium draſticorum medicamentorum orto; de pollice ſiniſtro cum tendine flexoris euulſo; de carie humeri ex rheumatiſmo male curato orta; de inſigni vulnere faciei in obſeruatione quinquageſima quinta p. 383. et ſequentibus ad varias laeſiones capitis et caluae examinandas ſe conuertit Cl. Auctor. Variae interdum percuſſiones cerebrum commouent, dummodo autem calua non fracta, nec humor extrauaſatus ſit, congeſtiones ſanguinis et humorum felici ſaepe cum ſucceſſu diſcutiuntur, omnem tamen in his diſquirendis curam adhibere tenetur chirurgus, quo inſtrumenti laedentis figuram et impetum, naturam et ſymptomata aegri, nec non laeſionem ipſam caute perpendat. Ruſticus, cui impetus vehemens vectis, quo arborem e loco mouere intendebat, os frontis percuſſerat, vltra ſexaginta horas attonitus iacebat, venaeſectione eaque repetita adminiſtrata et tumore ſanguinem coagulatum continente ſuper os frontis vsque ad pericranium inciſo, non tantum ad ſe rediit aeger, ſed vulnus quoque ſine exfoliatione cranii feliciter curatum fuit.

Vulnera cranii, dummodo menynges et cere- p. 387. brum non laedantur, ex voto curari poſſe ſequens obſeruatio probat. Virgini dormienti ſexaginta annorum ancilla quatuor vulnera oſſi frontis acie

ſecuris

ſecuris inflixerat, et paulo poſt baſi huius inſtrumenti oſſi bregmatis ſiniſtro contuſionem induxerat. Vulnus medium per cranium vsque ad menynges penetrans quatuor pollicum erat, et motus cerebri per illud clare perſpici poterant, reliqua tria vulnera non niſi ad diploen penetrauerant, oſſis bregmatis laeſio nulla erat, ſed ſanguis tantum ſub pericranio extrauaſatus inueniebatur. Attonita diu ſubſtitit aegra, nec poſt venaeſectiones, nec poſt adminiſtratam vulneris deligationem, nec per alia medicamenta et clyſmata excitabatur, ſed in tertium vsque diem ſtertoroſa iacuit, ſenſim tamen paulatimque excitata ſuit, et vulnera felicem, quam ars dare poterat, curationem admiſerunt. Colligit porro Noſter varias notatu digniſſimas caluae fracturas cum deſtructione magnae partis menyngum et cerebri, variasque animaduerſiones, hanc doctrinam illuſtrantes, addit. His ex aliorum obſeruationibus repetitis, ipſe in obſeruatione quinquageſima ſexta p. 408. de carie caluae feliciter ſanata agit.

Virgo nimirum quadraginta annorum diriſſimis capitis doloribus in oſſe frontis potiſſimum excruciata a variis internis externisque remediis interdum quidem leuamen, nunquam vero ſanationem, acquirere potuit; interea eo in loco tumor oriebatur oui gallinacei magnitudine durus et dolens, nunquam tamen inflammatus; hic cum nullis medicamentis diſcuti poſſet, inciſione integumentorum praeſtita tophum oſtendit, quem Noſter modiolo ad diploen vsque multoties excidit, quo facto foetida et ichoroſa materia effluxit, applicatis alcohole vini et eſſentia euphorbii, ſeparatio oſſis et particulae etiam laminae internae caluae ſucceſſit, et paulo poſt depuratio et ſanatio vulneris ex voto praeſtita fuit.

Obſer-

Obſeruatione quinquageſima ſeptima de hydro cephalo infantum agit, gradus huius morbi definit Auctor, in cauſas inquirit, et ſpinae bifidae et tumoris aquoſi abinde in lumbis nati diſquiſitionem addit, tandem hydrocephalum ſubcutaneum epithematibus ſpirituoſis et aromaticis diſcuſſum deſcribit. p. 412.

Vltima obſeruatio de fabrica naſi exponit et coryzam duplici exemplo adducto declarat nonnullaque de polypi narium curatione ſubnectit. p. 418.

XII.

Vorläufige Beobachtungen der Schwämme um Regensburg angeſtellet und mit vier Kupfertafeln ausgemahlter Abbildungen erläutert von IAC. CHRISTIAN SCHAEFFER. *Sr. Kön. Maj. zu Dännemark, Norwegen Rathe; und der Weltweisheit* Profeſſore honorario *auf dem* Gymnaſio academico *zu Altona; Evangeliſchen Prediger zu Regensburg; der Kayſerlichen Academie der Naturforſcher; Kayſerlich Königlichen Academie zu Roveredo; Königlichen Preuſſiſchen Academie zu Berlin und Churfürſtlichen Bayeriſchen Academie zu München; der Königl. Geſellſchaft der Wiſſenſchaften zu Duisburg und Königl. deutſchen Geſellſchaft zu Göttingen; wie auch der freyen Künſte zu Leipzig Mitgliede. Regensburg, gedruckt mit Weiſſiſchen Schriften und in der Montagiſchen Buchhandlung in Commiſſion zu haben.* 1759. *in* 4to. 8½ *Bog.*

h. e.

Praeluſio de fungis in agro Ratisbonenſi obſeruatis a IAC. CHRISTIANO SCHAEFFERO.

Miramur profecto Cl. Auctoris induſtriam in explicanda et illuſtranda illa hiſtoriae naturalis parte, quae fungos complectitur; atque id eo magis, quod, vt ipſe ingenue fatetur, interuallo vnius circiter anni tam egregiam de hac tam intricata et multis difficultatibus inuoluta re ſibi comparauerit ſcientiam, vt non ſine laude de fungis diſſerere et vel plane noua, vel, quae iam ab aliis doctiſſimis viris tradita ſunt, nouis experimentis confirmare potuerit. Sed age libellum ipſum adgrediamur; eſt vero haec de fungis generalis diſputatio in quinque partes diſtributa, quarum prima de fungorum ortu eorumque propagandi multiplicandique ratione exponit; altera pars eſt de fungorum ſtructura et qualitatibus tam cognitis et definitis, quam incognitis et non ſatis hactenus perſpectis. In tertia parte genera, formae et mutationes fungorum exhibentur; pars quarta, quaenam ſit vtilitas fungorum et pernicies, tradit; vltima denique pars continet conſilia quaedam et adminicula corrigendae et augendae fungorum hiſtoriae.

p. 3. Ad ortum et creſcendi modum quod attinet, inſtituit Cl. Auctor duodeuiginti experimenta, ex quibus legitima conſecutione haec conſectaria deduxit: Cum vaſcula illa et receptacula, quibus pollen ineſt, tantum in nonnullis fungorum generibus, e. g. in fungis lamellatis et perforatis, atque in his quidem pauciſſimis ſint conſpicuae; largiendum eſt, vel pollinem illum fore ſine omni effectu vel potius eius vtilitatem non talem eſſe futuram, qualem ſibi perſuadent periti quidam homines. Nam ſi v. c. fungum puſuerulentum paulo attentius contemplari

templari velis, inuenies, maturitatis momentum in semine, quod masculinum appellant, valde esse dubium. Videtur itaque, quam alii defendunt, p. 18. ratio propagandorum fungorum ab ea lege, quam reliquae plantae fere omnes propagando sequi solent, maxime discrepare. Nec mira esse poterit vlli talis varietas, et id tanto magis, quo magis certum est, quod modus propagandi plantas per semen, non sit vnicus. Quae cum ita sint, faten- p. 25. dum quidem est, id, quod hactenus in fungis semen habebatur, ad eas partes pertinere, quas procreatio requirat; sed tantum abest, vt vascula illa eiusmodi semen contineant, quod ortum suum a florendi et fructificandi modo duceret; vt potiùs fungi sine omni dubitatione alii legi, quamquam incognitae, qua propagentur, sint subiecti. Etsi fungi primo adspectu ad vnum omnes inter se conuenire videntur, tamen si intento oculo eos adspicias, immensam eorum variationem et discrepantiam facile deteges. Est vero fungorum discrimen vel externum, vel internum.

Extrinsecus fungos ab aliis internoscere possumus, si eorum formam, figuram, situm, superficiem, limbum et ambitum, peculiares partes, similitudinem cum aliis rebus, colores etc. contemplemur. Quare fungi ratione formae et magnitudinis magni, mediocres, parui, longi, breues etc. ratione situs et positionis recti, verticales, ad planitiem expansi, dependentes etc. ratione superficiei vel vnam superficiem habent, vel duplam, sunt porro laeues, hirsuti, lamellati, porosi, dentati etc. ratione limbi et ambitus, integri, crenati, lobati, acuti, conuoluti etc. ratione partium, quas integrales dicunt, radice donati vel non, annulo ornati vel non, pileati, pileo destituti etc. ratione similitudinis, quae fungis est cum aliis rebus, sunt indefinitae formae, cancellati, campaniformes, sphaeroides

roides etc. ratione coloris ſunt vel vnius coloris vel varii, candidi, nigri, venis picti, maculati etc. Poſſunt quoque fungi, ſi in eorum naturam et indolem inquirimus, diuerſimode diſcerni; quorum alii carnoſi, lignoſi, tunicis praediti, alii cartilaginoſi, mucoſi, molles, duri, leues, graues etc. Differunt porro fungi, ſi naribus et lingua eos ſentimus, differunt loco, tempore, et creſcendi modo.

p. 29. Quibus ſeparatim conſideratis omnibus, inueniemus externam fungorum formam raro eſſe conſtantem, ſed plerumque variabilem. In ſuperficie internoſcenda veniunt primum, quae dicunt eſſentialia, numerus ſcilicet ſuperficierum, conſtructio ſuperficiei inferioris, atque exterioris ſuperficiei forma; reliqua ad aceidentalia pertinent.

Partes fungorum ita comparatae ſunt, vt earum quaedam ſemper adſint, quaedam deſint. Sunt vero partes, quae in fungis diſcernuntur hae: radices, ſtipes, volua et pileus. Quidam radice deſtituuntur, eiusque loco gerunt aliam quandam materiem, quaſi glutinoſam et corruptam. Aliis quidem ſunt radices, ſed ſine conſtantia et lege. Quare difficile dictu, quinam fungi prae reliquis ſemper radicem habeant. Stipes, altera fungorum pars, ſaepe apparet, interdum nullus eſt. Differunt quoque ſtipites, ſi externam eorum formam et figuram contempleris. Idem fere dicendum eſt de volua et pileo. Limbus et ambitus fungorum eſt variabilis, inconſtans color, lubrica ſaepe ſimilitudo, quam cum aliis rebus habere debeant. Interna fabrica et ſtructura, odor et ſapor in ſpeciebus conſtanter comprehenduntur, in generibus non eadem. Sunt fungi, qui ſtato tempore et certis locis e terra prorumpant, ſunt etiam alii, qui omni tempore et vbiuis locorum reperiantur. In diſtri-

p. 39. buendis et denominandis fungis Cl. Auctor Linnaeanam fungos diuidendi rationem ſequitur, hoc tamen diſcrimine,

discrimine, vt in disponendis generibus diuidendi fundamentum e superficie, tanquam praecipua parte, qua fungi vel maxime inter se conuenire et differe videntur, sumserit. Hinc nata est haec fungorum distributio.

Fungorum vascula seminalia, quae videntur propagationis causa adesse, inueniuntur

I. in superficie inferiore, quae est
  1, lamellata, vt in *Agaricis*
  2, perforata et porosa, vt in *Boletis*
  3, dentata, in *Hydnis*
II. in superficie externa, quae est
  1, laeuis, vt in *Clauariis*
  2, cancellata et rugosa, in qua
    a, areolae perforatae conspicuae, vt in *Clathris*
    b, nullae perforatae, in *Phallis*
III. in superficie interna, cui
  1, insident, vt in *Eluelis*
  2, in ea iacent, quo casu superficies
    a, cyathiformis, vt in *Pezizis*
    b, sphaeroides, in *Lycoperdone*
    c, capillaris et tenuis, in *Mucore.*

Qua posita fungorum diuisione vniuersa genera possunt hoc modo definiri. *Agarici* sunt illud fungorum genus, quorum superficies inferior constat lamellis, quibus vascula seminalia adhaerent. *Boleti* sunt fungi, quorum superficies inferior poris et foraminibus est ornata, cui vascula seminalia insident. *Hydnum* est fungus superficie infima dentata, in qua vascula seminalia reperiuntur. *Clauaria* est fungus, vnica superficie eaque laeui constans, per quam vniuersam vascula seminalia sunt dispersa. *Clathrus* est fungus superficie exteriore reticulata, perforata, cui fructificationes adhaerent. *Phallus* est fungus superficie exteriore reticulata non perforata, quae vascula seminalia continet. *Eluela* est

 fungus,

fungus, variae et multiplicis figurae, cuius superficiem interiorem vaſcula ſeminalia occupant. *Peziza* eſt fungus cyathiformis, cuius vaſcula ſeminalia velut in placentis incluſa inueniuntur. *Lycoperdon* eſt fungus figura rotunda, cuius interior ſuperficies ſemina innumera complectitur, quae ſaepe tanquam pollinem tenuiſſimum diſpergit. *Mucor* eſt fungus ex partibus villoſis et capillaribus compoſitus, cuius ſemina vel intus vel extrinſecus reperiuntur.

Sic generatim fungi a Cl. Auctore diuiduntur et definiuntur; quo pacto autem genus quodque de-
p. 41. nuo deſtribuendum ſit, ſic docet; *Agaricorum* diſcrimina pendent, a materie: hinc quidam molles, carnoſi alii, alii paulo duriores, lignoſi; a pedunculo et ſtipite, ſunt enim quidam pedunculo intus vel cauo, vel ſolido, vel textili donato, alii pedunculo deſtituuntur; a radice, quae vel adeſt, vel deeſt; a proprietate interna; a modo creſcendi; denique a loco, quo naſcuntur. *Boletorum* ſubtiliores diuiſiones maximam partem cum agaricorum diſtributionibus, quas modo indicauimus, conueniunt, ſi ſuccum et creſcendi rationem excipias. *Hydnorum* diſcrepantiae eaedem ſunt, quae in boletis conſtitui poſſunt, ſunt tamen eis quaedam propriae, ſi craſſitiem, membranas, materiem, pileum, denticulorum loca in ſubſidium vocemus. *Clauariae*, vel ſimplices ſunt, vel ramoſae, differunt et colore, ſed haec differentia a colore ſumpta, ſimiliter a loco et tempore nobis tanti non eſſe videtur. De *Clathrorum* diuiſione nihil commemorat Cl. Auctor, quia nunquam, quod ipſe fatetur, eorum particeps fieri potuit. *Phalli* vel ex volua aliqua ſurgunt vel non, a pileo reliquae diuiſiones maioris momenti. *Eluelarum* diuiſiones propter variam et inconſtantem figuram difficiles ſunt, quod ſi vero ad pedunculum pileumque attendas, eas accuratius

ratius diſcernere poteris. In *Pezizis* forma, ſuperficies et color noua diuidendi fundamenta praebent. *Mucores* vel ſtatim ab initio corticem exareſcentem habent vel nullo cortice ornati ſunt, a pedunculo, radice, et ſuperficie reliquae diuiſiones pendent.

Cum non ſine vtilitate et iucunditate ſit fungorum hiſtoria et declaratio, eſt enim fungorum vtilitas, quanquam mortalibus non adeo cognita; non inutilem Cl. Auctor nauauit operam, quod in p. 51. fine ſui libelli, quo modo poſſit haec hiſtoriae naturalis pars magnum incrementum capere, conſilia quaedam adiecerit, quae nunc breuiter indicabimus: Sine iconibus, fungorum deſcriptiones et diſtributiones, etiamſi accuratiſſime elaboratae ſint, intellectu ſemper difficiles manent. Maxime conducit, ſi fungorum imagines viuis coloribus pingantur. In laude ſunt picturae generum et ſpecierum, ſed non ſufficiunt. Singuli fungi ita delineandi et pingendi ſunt, vt non modo, quae ſemper adſint diſcrimina, ſed quoque varietates omnes et ſitus varii exprimantur. Cum ſuperficies praecipua ſit fungorum pars, qua poſſint ab aliis internoſci, ideoque diligenter delineentur pinganturque neceſſe eſt. Fungorum variantes partes v. c. radix, annulus, color et reliqua, negligendae non ſunt, nam his poſtpoſitis facile fiet, vt, quae eiusdem ſint ſpeciei, pro diuerſis habeantur. Eſt quoque differentia in fungis aliqua, ſi aetatem eorum conſideres, quae ſaepe tanta eſt, vt inter iuniores et aetate maiores vix vlla ſuperſit ſimilitudo; atque propterea fungi in vtraque aetate pingantur, commendandae etiam ſunt eiusmodi delineationes et picturae, vbi fungi, inprimis illi, qui pedunculo innituntur, cognoſcendae ſtructurae cauſa, diuerſimode diſſecti repraeſententur. Delineentur fungi, qui cum gleba cui inhaerent, effoſſi ſeparatim quaſi educati et exculti ſunt; adiungantur tamen et

illorum imagines, qui ſub ioue creſcunt. Globuli illi, qui ſemen eſſe putantur, et naturali et aucta microſcopii ope magnitudine pingantur. Quaelibet pictura ſedulo et dilucide declaretur et deſcribatur. Examinentur fungi chimica ratione eorumque natura et indoles interna euoluatur. Si quaedam fungorum vtilitas et noxa cognita detectaque ſit, probe annotetur. Denique quae iam expreſſae et pictae ſunt fungorum imagines publici iuris fiant, deſcriptiones alio tempore opportuniori, nam temporis ratio habenda eſt. Nos qui cum voluptate legimus has praeceptiones omnes, optaremus quidem, vt et haec obſeruaretur, vt deſcriptiones fungorum vniuerſae et explicationes latine traderentur, ſic enim doctus quisque eiusmodi libro commode vti poſſet, nec vllus eſſet, qui de obſcuritate nominum vel alio incommodo, quod plerumque ex alio idiomate, latino excepto, proficiſcatur, librum accuſet.

XIII.

Plantarum americanarum faſciculus ſeptimus continens plantas, quas olim CAROLVS PLVMIERIVS Botanicorum princeps detexit eruitque atque in inſulis Antillis ipſe depinxit. Has primum in lucem edidit concinnis deſcriptionibus et obſeruationibus aeneisque tabulis illuſtrauit IOANNES BVRMANNVS M. D. Profeſſor Botanices Amſtelaedamenſis. Sumtibus Auctoris Amſtelaedami 1758. in fol. pl. 7. Tab. aen. XXV. a tab. 151 - 175. Eiusdem Faſciculus Octauus 1758. in fol. pl. 7. Tab. aen. XXVI. a tab. 176-201.

De

De ſeptimo et octauo plantarum americanarum faſciculo nunc exponere pergimus proxime finem operis indicaturi.

In ſeptimo nimirum faſciculo exhibetur Hieracium, quod ad ſic dictam Pulmonariam Gallorum propius accedit et eius forte varietas eſt; Iacobaea ſalicis folio ad Verbeſinam relata; duae Hypericoidis ſpecies, quae ad Aſcyrum pertinent; Iabotapita, quae Ochna eſt. Iacobaea helenii folio ad Solidaginem relata, duae Ianraiae ſiue Raiae vel Raianiae ſpecies; Iaſminum ſolani folio ad Loniceram, et aliud lauri folio ad Ixoram relatum, tertium quod ſolani folio minore eſt, in Iaſminis relinquitur, quartum tandem quod quoque lauri folio dicitur ad Citharexylon amandatur; Icago ſiue Chryſobalanus; Ketmiae ſpecies quatuor ad Hibiſcum repoſitae; Larix americana ad Pinum relata; Lauendula ſiue Sherardia nodiflora ad Verbenam pertinens; Meliſſae ſpecies quatuor, quarum prima ad Nepetam, ſecunda ad Ballotam, tertia ad Mentham, quarta ad Meſophaerum referuntur; Liguſtrum aculeatum quod Volkameria eſt; Lobelia portulacae folio; Linaria paluſtris, quae Vtricularia eſt; Lonicera ſiue potius Lorantus; Malpighiae ſpecies quinque; Maluae ſpecies tres, quarum prima et tertia ad Sidam, ſecunda vero ad Hibiſcum reducuntur; Mammei ſeu potius Mammea; Moncanillae ſiue Hippomane ſpecies duae; Manihot duae ſpecies, quarum prima ad Acalypham, altera ad Croton amandatur; Marcgrauia; Matthiola; Mentzelia; Onagrae ſpecies tres, quarum priores ad Oenotheram tertia ad Iuſſiaeam reducuntur.

Ex obſeruationibus a Cl. Editore additis ſequentes repeti merentur. *Iabotapitae* ſiue *Ochnae* duae ſpecies ſunt, quarum prima *Bockaerae*, altera *Malkaerae* Cingalenſibus dicitur, hanc illi adiunxit LINNAEVS, quoniam vero huius folia latiora, magis ouata et ſubtiliter ſerrata, flores non ſpicati ſed p. 147.

 congeſti,

congeſti, et fructus ſimplices oliuaeformes ſine excreſcentiis deprehenduntur, genere diuerſas plantas
p. 149. eſſe Noſter iudicat. *Raia foliis quinis, oblongis, trineruiis* ſingularis prorſus planta eſt, folia quina enim non ex communi pedunculo digitata; ſed ſeparata ad ſingulum caulis geniculum petiolis propriis inſtructa emittit, florum racemus etiam non ex alis
p. 151. foliorum, ſed ex medio caule protruditur. *Icaginis* fructus nunc flauus, nunc niger, nunc purpureus eſt, *Chryſobalani* tamen nomen placuit LINNAEO, qui etiam *Myrobalanum* SLOANEI arborem foliis
p. 156 pinnatis, tota facie diuerſam, huic iunxit. *Liguſtrum aculeatum fructu teſticulato* PLVMERII, *Liguſtroides* Hort. Cliff. a SLOANE ad *Paliurum* ab AMANNO ad *Dugloſſiam* et a BROWNE ad *Clerodendrum* refertur, bacca tamen ſubrotunda bifida, binis nucleis referta pericarpio inſidente a Clero-
p. 159. dendro differt. *Lonicera flore coccineo, baccis nigris* PLVMIERII a reliquis huius plantae ſpeciebus corolla in ſex partes diuiſa, ſtaminibus ſex et bacca monopyrena differt, optime itaque a VAILLANTIO nouum genus *Loranthi* conſtitutum fuit. *Malpighia mali punicae facie*, quae foliis ouatis eſt ex delineatione Cl. Editoris additur, alia *vrens* folia ſetis rigidis recuruis adſperſa habet, et in ea racemi axillares ſunt, tertia, quae *foliis aquifolii amplioribus* inſtructa eſt, ad Mancanillam potius referri meretur, quarta *foliis dentato ſpinoſis* ad vrentem quodammodo accedit, vix tamen ex obſeruationibus hactenus collectis Malpighiae ſpecies ſatis definiri poſſunt.
p. 164. Ad *Mancanillae* ſiue *Hippomanes* ſpecies *foliis ſubouatis dentato ſpinoſis* et *foliis ouato oblongis ſerratis baſi glanduloſis* tertiam addit Cl. Editor, quae cum altera conuenit, ſed baſin glanduloſam non habet, fructum autem pyriformem, quam non diſtinxit BROWNIVS
p. 166. qui et *Huram* ad *Hippomanes* genus retulit. *Matthiolae* fructificatio tam ſingularis eſt, vt cum nulla

alia

alia conueniat, licet enim, cum germen infra fructum gerat, et corollam infundibuliformem limbo integro obtineat, ad Mirabilem proxime accedat, tamen cum ſtamina deficiant, diphyta forte videtur, genus itaque in loco natali accuratius definiendum eſt. Planta haec ad paraſiticas pertinere videtur. Monendum praeterea eſt *Lilioaſphodeli* ſeu *Amaryllidis* duas ſpecies *Magnoliam* et *Marantam* plantas, ab aliis Auctoribus melius depictas, Cl. Auctorem omiſiſſe.

Ad octauum faſciculum nunc progredimur, in quo viginti quinque *Helleborines* ſpecies primum proponuntur, ſub hoc nomine enim PLVMIERIVS varias plantas ob radicum et foliorum habitum conuenientes comprehendit, ita vt prima Conuallaria, ſecunda et tertia Ruſcus, quarta ad decimam, et decima octaua ad vigeſimam tertiam Epidendrum, vndecima et duodecima nec non vigeſima quarta et quinta Limodorum, decima tertia Serapias, decima quarta, quinta et ſeptima Ophrys, decima ſexta Orchis appellari mereantur. His interponitur Vanilla, quae quoque Epidendri ſpecies eſt. In hoc quoque faſciculo Cacti genus multis ſpeciebus illuſtratur et vndecim Melocacti et quatuor Opuntiae ſpecies delineantur et deſcribuntur, vltimo tandem loco Medicaginis ſpecies additur.

Addamus nunc quasdam Cl. Editoris obſeruatio- p. 171.
nes. Species prima *Helleborines*, quam *Conuallariam caule articulato, vnifolio, bifloro* appellat corollam quinquifidam habet, et non niſi habitu ad hoc genus accedit, forte tamen eo iure, quo Vnifolium, ad Conuallariam pertinet. Sic quoque ſequentes duae ſpecies ad *Ruſcum* referuntur, quoniam habitu et floribus in baſi foliorum oriundis ad hoc genus accedunt, licet flos minus accurate depictus ſit. Ad *Epidendri* et plantarum congenerum ſpecies definiendas, multae quidem hic congeruntur deſcriptiones

nes et icones, dolendum tamen eſt, floris, in hoc genere inſigniter variantis, delineationes non ſemper accuratas exhibitas eſſe, cum itaque *Orchidum*, plantarum congenerum in noſtris terris creſcentium, definitiones maximis adhuc difficultatibus obnoxiae ſint, in his exoticis maior adhuc deprehenditur. Inter alias *Epidendri* ſpecies ea etiam, quae
p. 183. foliis ouato oblongis neruoſis, ſeſſilibus caulinis et cirrhis ſpiralibus inſtructa eſt, vt vera *Vanilla* officinalis a Cl. GEOFFROY deſcripta egregie delineata ſiſtitur. *Cacti* etiam variae ſpecies egregie delineatae et deſcriptae inueniuntur, in his quidem maior in floribus eſt conuenientia, cum tamen anguloſae figurae aliqua variatio occurrat definitiones ſpecierum quodammodo difficiliores ſunt. Inter alias *Cacti* ſpecies etiam *repens ſubquinquangularis* deſcri-
p. 191. bitur, quae et in noſtris hybernaculis flores amoeniſſimos profert, licet planta hic delineata frequentioribus faſciculis ſpinoſis obſita ſit. Flos huius, qui tarde euoluitur, conum format obtuſum, ſubtiliſſimis ſpinis refertum, dum ſe euoluit calicem magnum, quadruplici ſquamarum ſtrato conſtantem expandit, hora autem ſeptima veſpertina aperitur ipſe, duodecima tandem hora et candidiſſimo flore et ſuauiſſimo odore placet; ipſa autem planta licet flos ſolem fugere videatur, vernali tempore in hybernaculis ad feneſtras collocanda eſt, quo magis enim ſolis radiis illuſtratur, eo luxurioſior et magis florifera deprehenditur. Notandum quoque eſt, dulciſſimos harum plantarum fructus, qui aurantiorum malorum magnitudinem ſaepe attingunt, ob refrigerium, quod in feruentibus illis regionibus requiritur, maxime in deliciis haberi, ita vt hae plantae foliis deſtitutae et ſpinis horridae, primo aſpectu quidem fugiendae, ob praeſtantiſſimos tamen fructus aeſtimentur. Repentes ſpecies ſi nulla in-

ueniunt

ueniunt ſuſtentacula, per terram proſerpunt, ſi vero arbores attingunt, fibrillis radicalibus in earum cortices, ſeſe dimittunt, et vt paraſiticae plantae nutriuntur.

XIV.

Diſſ. inaugur. de laeſa oſſium nutritione Praeſide D. CHRISTIANO GOTTLIEB LVDWIG. Therap. P. P. O. Fac. Med. Decano etc. Reſp. *Carolo Erneſto Oſchatz.* Lipſiae 1759. 4. pl. 4.

Occaſionem ſcribendi praebuit cadauer foeminae, p. 4.
in quo oſſa emollita inuenta fuerunt. Diſquiritur ideo praecipue ea mutatio praeternaturalis, qua oſſa iam ſatis dura reddita in media aetate per deprauatam humorum indolem ad ſingularem prorſus fragilitatem ſeu mollitiem quandam deducuntur. Quo igitur haec apte declarari queant, phaenomena nutritionis oſſium cum incremento in iunioribus et ſine incremento in adultis allegat, et aliquam analogiam nutritionis partium mollium et oſſium aſſumit Cl. Auctor. In vtrisque nimirum p. 8.
ſunt quaedam fibrae perſiſtentes et tenaces, quae baſin partium nutriendarum conſtituunt, in his vera quidem nutritio locum non habere videtur, ſed ſola humectatio, cum tamen haec non niſi cum ſeceſſione et acceſſione particularum fieri queat, vera etiam nutritio locum habet. Hoc quidem, ſi deſtructionem et receſſum particularum attendimus, ex ſenſu laſſitudinis, in ipſis oſſibus percepto, obſcure patet, ſed magis adhuc in ſenum oſſibus cognoſcitur, non lymphatico-oleoſas tantum particulas, ſed terreas quoque recedere, cum oſſa ſenum non

non denſiora, ſed ſicciora, poroſa et fragilia inueniantur; in appoſitione autem vere oſſificus ſuccus, qui nimirum terreſtes particulas vt eſſentiales continet, adducitur, quod quidem ſi in ſana oſſium nutritione oſtendi non poſſet, in geneſi calli abunde declaratur.

p. 12. Praemiſſis his de nutritione oſſium phaenomenis ad nutritionem laeſam conſiderandam progreditur Noſter, et illum praecipue morbum declarat, quo ſecedentes particulae oſſeae non reſarciuntur, ſed ipſa dura materia prorſus euaneſcit; colligit itaque varias Auctorum obſeruationes, easque in claſſes diſtribuit, immobilitatem nimiam articulorum in ligamentis relaxatis minus recte ad oſſa referri, oſtendit et fragilitatis oſſium ſenilium nonnulla exempla profert, maxime vero a venerea labe, ſcorbuto et aliis cacochymiae ſpeciebus hanc oſſium fragilitatem et mollitiem inductam fuiſſe monet.

p. 20. Hos itaque oſſium morbos a defectu et deprauatione veri ſucci nutrientis, et ſpeciatim a peruerſa elaboratione et corruptione humoris ad intimam oſſium compagem deferendi dependere docet. Quaeſtionem vero num hac ratione oſſa arrodantur? an non nutriantur? ita definit: licet in attenuatis et non nihil emollitis oſſibus externa ſuperficies aſperior fiat, internae tamen oſſium, cylindraceorum praecipue, laminae magis ſecedunt et auferuntur, minime autem, vt in vlceribus oſſium internis et carie inde oriunda, vere eroduntur, ſed deterſione aliqua vniuerſali, cum defectu appoſitionis nouae, quae laeſam nutritionem vere declarat.

Cum autem multi auctores ad acidam acrimoniam oſſa arrodentem prouocauerint, operae pretium eſſe duxit, medullam ex oſſibus morboſis emollitis, et oſſa ipſa examini chemico ſubiicere, cum itaque medulla animalium ſolis herbis nutritorum acidi veſtigia oſtendat, in foemina, cuius nimirum oſſa

ossa disquisita fuerunt, victu parco vegetabili nutrita et vita sedentaria vix non semper detenta, tanta forte acidi, non mutati copia adesse potuisset, qua ossa erosa et emollita fuerint. Experimenta tamen contrarium docuerunt, et licet ea repetere nequeamus, concluſa tamen inde collecta breuiter annotare placet. Medulla, morbosa reddita, ea acidi copia p. 27. non scatet, quae cum vi arrodente acidorum menstruorum immo mitissimo acido aceti comparari possit, neque acidum in ossibus olei medullaris copia adhuc imbutis vt menstrua fortius soluentia agunt, hinc omnino patet, mixtionem humorum deprauatam, caussam huius morbi esse, licet difficile definiatur, num terreae particulae deficiant, an, licet praesentes sint, non rite apponantur. Ii vero, qui morbum grauissimum ossium summe emollitorum foeminae *Supiot* describunt, ad abusum salis communis prouocant, quem quidem ex muriatica acrimonia nocere posse Noster concedit, licet inde non euincatur, acidum salis communis ita extricari, vt erosionis ossium caussa sit.

Ad cachexiam praecipue grauiorem venereamp. 29. vel scorbuticam respicere tenemur, si in caussas laesae ossium nutritionis inquirimus, quamuis enim haec in mollioribus partibus haerens, non semper ad meditullium ossium procedat, tunc tamen vehementius iam saeuit, si dolor aliquis vniuersalis in ossibus obseruatur, qui et tunc surdus magis est, et cum eo non comparandus, qui ex vlcere interno oritur. Summum morbi gradum tandem declarant fracturae ex leui caussa euenientes, vel ipsa incuruatio per vim musculorum facta. In curatione itaque suscipienda leue initium morbi attendendum est, in quo vires vitae optima nutritione roborantibusque medicamentis sustineri et acrimoniae cognitae demulceri, inuerti et eliminari possunt. An rubia

tinctorum

tinctorum, cuius color cum ossibus communicatur, medelam afferre possit omnino tentandum erit. In externa tandem curatione balneis roborantibus vis conueniens denegari haud poterit.

XV.

PHILIPPI CONRADI FABRICII. Seren. Duc. Brunsuic. et Luneb. a Consiliis aulicis, Med. Doct. et Prof. Publ. Ord. Helmstadiensis etc. Programma Academicum, quo syllogen obseruationum anatomicarum, ab anno 1754 ad annum 1759 in theatro academico Helmstadiensi factarum, communicat, et nouas suas lectiones hybernas indicit. Helmstadii typis Ioh. Drinbornii, 4. 1759 pl. 3½.

Vt anatome corporis sani physiologiae lucem accendit, quam in vniuersam medicinam diffundit, sic practica quoque anatome siue cadauerum morbo defunctorum disquisitio pathologiam et inde quoque medendi rationem egregie iuuat. Obseruationes praesentes ad hanc potissimum pertinent, Noster enim omnes, quas in cadaueribus inuenit, mutationes morbosas vel insolitas accurate consignauit, quarum nos speciminis loco nonnullas breuiter indicamus.

p. 5. In foemina macilenta octoagenaria longitudo canalis intestinorum, longitudine totius cadaueris vix triplo cum dimidio maior erat, tubus ipse intestinalis solito angustior inueniebatur, alio vero in loco Noster infantis trimestris exemplum affert, in quo canalis alimentorum nouies vel decies longior ipso infante deprehensus fuit, ex his itaque patet intestinorum longitudinem nunquam certam esse, nec sexies maiorem homine, ex quo depromuntur.

In

In vetula nunc allegata alia viſcera ſana, alia labe quadam affecta erant, ideoque in genere monet, effectus ſenii non in omnibus viſceribus aequali ratione et gradu ſe ſiſtere. Sic etiam alio in caſu hydropicam commemorat, in qua hepar ſcirrhoſum et inſolitae magnitudinis erat, ad vmbilicum vsque extenſum, reliquis tamen viſceribus ſanis exiſtentibus.

In alia vetula cancer mammae ſiniſtrae cum vlcere ſinuoſo verſus clauiculam et alas extenſo et glandulae ſubaxillares ſcirrhoſae deprehendebantur, brachium ideo ſiniſtrum inſigniter tumidum non veram pinguedinem, ſed craſſum, vbera vaccina cocta referentem, contextum celluloſum, ichoroſa ſanie ſcatentem exhibuit. Thymus ſteatoma referebat, pulmones cum pleura coaluerant cruſta lardo ſimili intercedente, polypi adipoſi in venis maioribus, glandulis praeterea variis ſcirrhoſis. Mirandum tamen eſt, in tanta humorum lymphaticorum corruptione lentem cryſtallinam non, vt in ſenibus, flaueſcentem, ſed puram, pellucidam, vt in infantibus, deprehenſam fuiſſe. p. 8.

In hydropico abdomen tumidum ſplendens et album inuenit, et pinguedini ſubcutaneae, in lympham acrem ex parte reſolutae et per cutim tranſudanti, hunc cutis pallorem adſcribit Noſter, nimiae cutis tenſioni forte tribuendum. Vtraque thoracis cauitas lympha extrauaſata repleta erat, pericardii tamen liquore parciſſimo, quod quidem et aliis exemplis confirmatur. Lien in hydropicis vt plurimum in magnitudinem inſolitam increſcit, in atrophicis autem et macilentis vtplurimum exiguus eſt. Ventriculi laterales cerebri in hoc cadauere nullum ſerum continebant, licet glandula pinealis arenulis referta eſſet, in baſi cerebri et circa medullam oblongatam tamen inſignis ſeri copia reperiebatur. Scrotum hydropicum ita diſtentum p. 11.

erat, vt vtraque membrana dartos, alias firmiter in ſepto coalita, facile diduci poſſet. Praeputium tandem tumidum glandem quaſi referebat, veram glandem retrorſum prementem.

p. 12. Suſceptio inteſtinorum, a vermibus orta, exponitur, quae raro adeo confirmata eſt, vt non facile iterum cedat et reſoluatur.

p. 15. In foemina, quae lue venerea laborauerat, et bis ſaliuationem mercurialem ſuſtulerat, pinguedo ſubcutanea ferme in gelatinam reſoluta erat. In alia foemina triginta annorum lobus dexter, pulmonum pleurae adhaerens, atro ruber et hepatis inſtar denſiſſimus reperiebatur et hic, et integer, et in partes diſſectus, in aqua ſubſidebat manifeſto indicio, hoc experimentum in infantum vita definienda non valere, niſi in pulmonibus ſanis viſis. In hoc ipſo cadauere bicipiti brachii muſculo tertia portio carnoſa a medio oſſis humeri accedens iungebatur.

p. 17. Iuuenis ruſticus viginti annorum robuſtus, a ramo arboris craſſiori abſciſſo percuſſus, in integumentis nullum, niſi ſuper ſupercilium ſiniſtrum exiguum vulnus habebat, oſſa tamen naſi, frontis, bregmatis, et temporum in plurimas partes diffracta erant, cum inſignibus menyngum et cerebri laeſionibus. Aorta in thorace et abdomine ſolito anguſtior, et truncus arteriae pulmonalis amplior quam aortae inueniebatur.

p. 20. In viro ſexaginta annorum in veſica prope inſertionem vreterum duae herniae ceu appendices conſpiciebantur, quae a ruptura tunicae internae nerueae ſine extrauaſato tamen ſanguine ortae fuerant. In hoc ipſo viro tres coſtae fractae, ſed callo facile ſolubili iunctae erant, calli ideo geneſin in coſtis nunquam quieſcentibus vix firmam reddi poſſe Noſter arbitratur, vidimus tamen et in his oſſibus interdum callos ſatis firmos.

Vetula

Vetula quaedam, procidentia vteri laborans, diſquiſita oſtendit, quasdam foeminas natura ad hunc morbum diſponi, illas ſcilicet, quibus peluis ſolito amplior et arcus oſſium pubis maior deprehenditur; in his tamen hoc vitium cum ſenſim increſcat, tolerabilius eſſe videtur, quam in aliis, vbi ex partu difficili vel alia violenta cauſſa oritur, vbi nimirum ſpaſmi hyſterici vehementiores ſunt. p. 24.

Dextrum thoracis cauum ſiniſtro amplius aſſumitur, obſeruationem tamen Noſter adducit, qua oſtenditur, ſine ſpinae dorſi diſtorſione praeternaturali, ſiniſtrum thoracis cauum dextro amplius deprehenſum fuiſſe. p. 27.

XVI.

Diſcours hiſtorique et critique ſur le Traité des Maladies des Os de feu M. PETIT. par M. LOUIS Profeſſeur et Cenſeur Royal Chirurgien-Maior-Adjoint de l'Hopital de la Charité de Paris, Aſſocie de l'Academie des Sciences, des Belles-Lettres et des Arts de Rouen etc. in 8. pag. 119. Fig. aen. 2.

h. e.

Sermo hiſtorico-criticus ſuper tractatu de morbis oſſium Cl. PETIT. Auctore Cl. LOUIS.

IOHANNES LVDOVICVS PETIT Clariſſimus inter Gallos chirurgus, cuius vitam et merita nos alia data occaſione ex elogio Cl. LOUIS indicauimus *, inprimis quidem oſſium morbos diligentius pertractauit, nunc cum anno 1758 tractatus Eius de

* vid. Comment. noſtr. Vol. I. P. I. p. 155.

ossibus Parisiis denuo in lucem ederetur et ipse quidem ab editione, 1741 euulgata, vix differat, libri satis cogniti recensionem exhibere superuacaneum fuisset, non possumus tamen sermonem praeliminarem negligere, quem Cl. LOUIS primo tomo nouae huius editionis adiunxit, cum fata huius libri eiusque praestantia egregie in eo declarentur.

p. 10. LAVRENTIVS VERDUC, Pater, iam anno superioris seculi octuagesimo nono cum fascias applicandi rationem traderet, de fractis et luxatis primariis morbis ossium egregie disseruerat, nihilominus Cl. PETIT anno huius seculi quinto, libellum de curandis morbis ossium, lectionibus suis chirurgicis accommodatum edebat, et cum post ea tempora omnem chirurgiam continuato studio coleret, et varia specimina in commentariis academiae scientiarum Parisinae traderet, etiam hunc suum de ossibus tractatum ita perficiebat, vt editio noua, quae anno vigesimo tertio in duobus voluminibus euulgabatur, iam longe praestantior prodiret. Inuidiam nonnulorum Virorum, inprimis Cl. ANDRY non effugere poterat eruditum hoc opus, ille enim cum institutum laudare cogeretur, quaedam tamen carpere non intermiserat. Imprimis vero assertum de rupto vtroque Achyllis tendine, in celebri quodam saltatore *Cochoix* dicto, a multis negabatur; quam quidem controuersiam Cl. LOUIS succincte enarrat et, dum medendi methodum declarat, in commodum chirurgicae artis conuertit.

p. 20. In ruptura tendinis disiunctae partes ad se inuicem ducendae et tamdiu in tranquillo situ retinendae sunt, donec coalescant. Hunc in finem Cl. PETIT fasciam primo eligebat, quae a planta pedis incipiendo vsque ad genu circularibus conuolutionibus ascende-

aſcendebat, et ſplenium anguſtum poſterius a regione poplitaea ad calcaneum vsque applicatum vtroque extremo ita figebat, quo extenſionem pedis maximam ſuſtineret, et gemellum muſculum eo vsque deprimeret, quo disrupti tendinis partes ſe inuicem attingerent. Haec erat vera medendi ratio, quae faſcia applicata perfici poterat. Haec vero non niſi a chirurgo peritiſſimo applicanda erat, et interea partes nimium comprimebat, et applicationem topicorum remediorum ad partem laeſam non admittebat, ideoque in eo caſu, vbi tendo vulnere aperto diſciſſus eſt, locum non habebat. Cum igitur aptiori apparatu opus eſſet, illum Cl. PETIT inueniebat et Noſter eundem et deſcriptione concinna et icone addita illuſtrat. Cingulum paratur ex corio denſo, alio molliori intus obducto, quod ea parte, qua ad regionem poplitaeam apponitur, integrum eſt, poſtea vero in quatuor partes diuiditur, quarum duae ſupra genu, duae infra genu combinantur et firmiter adſtringuntur, quo punctum fixum obtineatur. Pes extremus ſolea excipitur, cuius poſteriori parti ſupra calcaneum aliud corium adſuitur, quod ſupra ſuram aſcendit, et circa cylindrum poſteriori cinguli ſupra deſcripti parti in regione poplitaea affixum ita voluitur, vt et adſtringi et quodammodo relaxari poſſit, quo hoc ipſo corio et pes extremus maxime extendatur et ſurae muſculi deprimantur. Adduntur alia de cauſſis et ſymptomatibus rupti tendinis Achyllis et ſimilis ferme apparatus, quem Cl. MONRO inuenit *, deſcribitur.

Alia controuerſia, quae ſuper hoc tractatu mota fuit, inſtrumentum, ad luxati humeri repoſi- p. 38.

 tionem

* vid. Eſſays and Obſeruations phyſical and litterary read before a Society in Edinburgh. Vol. I. p. 450. Tab. VIII. et Comment. noſtr. Vol. V. Part. I. p. 77.

tionem aptum, quod ex ambe et polyſpaſto compoſitum, a Cl. PETIT ingenioſe inuentum fuerat concernit. Concedit Noſter explicationem mechanicam huius inſtrumenti, quam inuentor appoſuerat, cenſuram quandam promeruiſſe, et porro monet compreſſionem partium mollium, quae ab omni inſtrumento, repoſitioni humeri luxati dicato, euenit, nec in hac machina euitari poſſe; oſtendit tamen, cum accuſationes magis declinare, quam reuellere ſuſcipit, quam caute omnia haec incommoda a Cl. PETIT indicata fuerint, additis inſuper conſiliis, de cute retrahenda, et ſitu muſculorum obſeruando.

p. 47. Excurrit hac data occaſione in laudes HIPPOCRATIS aliorumque veterum ſcriptorum, ratione inuentionis eruditae machinarum chirurgicarum, et porro docet, quomodo chirurgus his morbis opem laturus partium fabricam et imprimis muſculorum varium ſub varia actione et extenſione ſitum, antagoniſmum et cooperationem, dignoſcere debeat, quando has luxationes ſcite dirigere ſuſcipit; tandem addit, has operationes tutius et melius manuum ope perfici, cum machinae haud raro maiora partium adiacentium incommoda inducunt, quam quae a laxatione pendent.

p. 69. Additis variis, quae hanc controuerſiam concernunt, annotationibus ad maxillae inferioris luxationem progreditur, in qua pertractanda, cum partium fabricam non ſollicite ſatis explicauerit Cl. PETIT, in cenſuram diſſentientium incidit: cum tamen ad chirurgiam tantum reſpexerit, Noſter ad aequum hac in re a Cl. MONRO propoſitum iudicium prouocat. Hic enim ipſe in ſua hac de re exhibita

* Medical Eſſays and Obſeruations reviſed and published by a Society in Edinburgh. Vol. I. Obſ. XI. p. 124 ſeqq.

exhibita tractatione et partes descripsit et enchireses, in repositione luxatae maxillae praestandas addidit. Agit vero Cl. LOUIS hac data occasione de luxatione maxillae inferioris retrorsum facta, quam Cl. VOGEL asseruit, et quam nos paulo ante descripsimus *; quam vero fieri posse negat, et ad alios chirurgos veteres et modernos prouocat, qui quoque eandem cum Cl. MONRO negant, et prorsus impossibilem pronuntiant. Nec Cl. IOHANNIS DE VIGO assertum ** de hac luxatione versus posteriora valere contendit.

Arcula Cl. PETIT ad fracturam cruris com- p. 77.
plicatam melius tractandam inuenta, ab aduersariis ipsis maxime laudata, et in variis libris delineata hic tangitur, et perfectior descriptio et delineatio traditur.

His missis ad nouas reprehensiones Cl. ANDRII p. 79.
circa luxationem humeri examinandas se conuertit Noster, hae in thesi in cathedra medica Parisiensi 1732 defensa, *an in humeri luxatione ambe potius quam scala, ianua, polyspastusque iterato renouata?* propositae fuerunt, sed nouas vix continent accusationes, praeter eas, quas paulo ante exposuimus. Hac occasione varia de controuersiis aliis, a Cl. ANDRY motis, simul recensentur, quo pateat, eum aliorum quoque virorum celeberrimorum acrem fuisse censorem. Tandem assensum, quem Cl. PETIT inter exteros ab HEISTERO, BOERHAAVIO, VAN SWIETEN et PLATNERO promeruit, ad demonstrandam excellentem eius doctrinam commemorat.

* In hac ipsa Parte pag. 123.
** Opp. Chirurg. Lib. VI. cap. 2.

p. 98. Noſter vero non negligere poterat tractatum de morbis oſſium, qui poſt obitum Cl. PETIT Pariſiis editus fuit *. Cl. DU VERNEY, Academiae Scientiarum Pariſinae Socius, anno trigeſimo huius ſeculi mortuus, eundem exaratum in ſchedis manuſcriptis reliquerat, et fratris filius Academiae Regiae Chirurgicae Socius, et in Horto Regio Anatomiae et Chirurgiae Demonſtrator eum publici iuris facere decreuerat, ſed cum et hic anno quadrageſimo octauo diem obiret ſupremum, alius editor tandem eundem nobis tradidit. Hic quidem amplior eſt, Cl. LOUIS tamen in aeſtimando libro ad doctrinam potius reſpiciens iudicat, praeſtantiam operis Cl. PETIT poſt editionem tractatus Cl. DU VERNEY non diminui. In hoc tractatu poſſibilitas fracturae longitudinalis oſſium cylindraceorum adſtruitur, quam Cl. PETIT ideo negauerat, quoniam impetus fiſſuram longitudinalem inducens cogitari non poſſet, niſi is ſimul fracturam transuerſam efficeret. Hanc ob cauſſam Noſter tria exempla, quae Cl. DU VERNEY ad euincendam fiſſuram longitudinalem adduxerat, ſub examen reuocat, et aſſertum ex iis minime comprobari oſtendit, ſimulque monet, Cl. HEISTERVM has ipſas fracturas, non vt decet, declaraſſe et ad exempla a Cl. HAYNE et FELICE a WÜRTZEN allata minime prouocare potuiſſe.

* Traité des maladies des Os par M. DU VERNEY. a Paris. 1751. 12 mai. Tom. I et II. vid. Comment. noſtr. Vol. I. Part. IV. p. 640.

XVII.

Der Arzt, eine medicinische Wochenschrift. Erster und andrer Theil. Hamburg bey G. C. Grunds Wittwe, 1759. 8. 2 alph. pl. 7.

i. e.

Medicus, ephemeris medica. Pars I et II.

Mirum forsan quibusdam videbitur, nos huius scriptionis mentionem iniicere, cum hucusque eum seruauerimus semper morem, vt eiusmodi tantum eruditorum scripta indicaremus, quae dogmatice elaborata, vel verum systema cuiusdam medicae aut physicae doctrinae tradant, vel alia quacunque ratione ipsam medicinam perficiant. Nec tamen sua prorsus destitui vtilitate eos existimamus libellos, qui vel iocose proferunt talia, quae displicerent plurimis, si serio tractata fuerint, vel et grata ac iucunda dictionis forma verborumque facundia ea proponunt, quae, quamuis omnibus scitu sint necessaria, ob rei momentiue grauitatem vix a paucis legi solent. Hocce artificio iam plures illuserunt ciuibus suis, vti ADDISSONIVS et FONTANELLE, qui in suis diariis morum susceperunt culturam, et iocose perstringendo ciuium suorum vitia feliciori omnino successu in iis emendandis allaborarunt, quam alii morum doctores, qui huius scientiae praecepta solide ac docte tradiderant. Nec desiderantur in iurisprudentia, nec in ipsa sanctiori doctrina auctores, qui eodem artificio vsi fuere et facunde proponendo effecerunt, vt arriderent lectoribus ea, quae serio dicta ipsis nauseam ac fastidium crearent. His tam praeclaris exemplis Cl. Auctor incitatus, constituit pro ciuium

ſuorum incolumitate ea ex arte medica diſputare, quae ad eorum ſanitatem ſpectare poſſent. Hunc igitur ſibi praefixit ſcopum, vt, cum prodeſſe velit, ſimul et delectare queat. Perſtringit hanc ob cauſam mores noſtros peruerſos, tam eos, quibus medicus et arti et ſibi nocet, quam eos, quibus aeger in vituperium medici vtitur. Tradit diaetae vniuerſales aeque ac ſpeciales quasdam regulas, vituperat, quos committunt in tuenda corporis ſalute, errores vitiaque, quae in educatione infantum animaduertit. Remouet opprobria, quae rationalibus medicis obiiciunt cenſores a medicaſtrorum et agyrtarum exemplis petita: et interdum quoque breuibus corporis animalis mechanismum et oeconomiam explicat, vel corporum quorundam naturalium hiſtoriam adfert. Cum enim recte putaret Noſter, quemuis poſſe facillimo negotio maxima et vitae et ſanitatis diſcrimina euitare, ſi quodammodo ſui corporis cognitione inſtructus ſit, id agere anniſus eſt, vt varia pro hoc ſcopo alleget. Innenimus hic multa vtilia argumenta, quae maximam partem diaetae regulas exponunt. Periodicum ſcribendi genus ideo elegit, quoniam hac ratione ipſi ſemper licebit, eiusmodi ad tractandum eligere momenta, quae vſui eſſe poſſunt, et quae temporis ratio ac genius ſeculi poſtulare videntur. Hunc quoque praefixum ſcopum laudabiliter eſſe conſecutum Cl. Auctorem ingenue fatemur. Ipſa enim ſcribendi elegantia non ſolum quosuis delectabit lectores, ſed et tantos ipſis praeſtabunt in libello tractata argumenta vtilitatem vt vitia diaetae corrigere, varia, quae ſanitati obeſſe poſſent, emendare, et quorundam naturalium corporum cognitionem acquirere poſſint. Sunt nimirum multa in hoc diario congeſta, quae iis, qui artem non profitentur, ex vniuerſa medicina ſcitu vtilia videntur, ſimul vero et ex theoretica

parte

parte addita ſunt varia, ſine quibus intelligi non poſſunt regulae practicae, quas tradidit. Vt vero Lectori de ipſius libri praeſtantia certius conſtet, opportunum erit, recenſere quasdam libri particulas, quae noſtram attentionem prae aliis incitarunt.

Part. I. n. 3. *de aquarum medicatarum vſu vernali.* Quae vita ſedentaria per hyemem corporibus inducere ſolet damna, ea potiſſimum hacce conſuetudine ob exercitationem corporis diaetamque accuratiorem, quae ſimul obſeruatur, corriguntur. Addit eorum fontium, quos pro vſu medico in Germania adhibere ſolemus, deſcriptionem breuiuſculam, et Pyrmontanas, Egranas, Selteranas, Antonianas, Wildungenſes, Swalbacenſes, Spadanas; ex martiatis Radebergenſes, Lauchſtadienſes, Bebranas, Freyenwaldenſes et Weiſſenburgenſes; inter ſalinas Sedlitzenſes et Seydſchützenſes commendat, quibus ob aquae puriorem indolem adnectit Schleuſingenſes ac Schlangenbadenſes. Pauca denique de cura lactis vernali adiicit, quosque ab ea expectare poſſimus vſus, et in quibusnam corporibus adhiberi queat, explicat, et docet qua ratione ſerum lactis et acidulum et dulce parandum ſit.

No. 6. *de natura corporis humani.* Cum vtile omnino ac neceſſarium iudicet, homines eſſe inſtructos de corporis ſui machina iisque, quos producere valet, effectibus, pauca de hoc mechanismo diſputare operae pretium duxit. Finis actionum quarumuis in noſtro corpore eſt vel nutritio ac conſeruatio machinae, vel ſenſatio, vel motus, vel propagatio. Prima hinc addit phyſiologica fundamenta de digeſtione, praemiſſa ſuccincta ac breui organorum, huic negotio dicatorum, anatomica deſcriptione. Ex quibus diſtincte expoſitis quiuis ſibi notitiam huius operis formare poterit. Ex digeſta

digeſta, hoc dicto modo, materia et partium nutritio, et earum particularum quae vel ad ſenſus, vel ad motum, vel ad generationem requiruntur, praeſtatur in variis corporis partibus ſecretio.

No. 9. *de arte morbos ex ſignis externis tantum, praecipue vrina, diiudicandi.* Acriter inuehitur in medicaſtros, qui lucro commoti omnem morbi decurſum ex vroſcopia determinare audent, et in eos quoque aegros, qui tale quid a medico poſcunt, aut expectant. Monſtrat poſſe quidem medicum interdum et ſigna prognoſtica et diagnoſtica ex lotio aliisue externis ſignis, pulſu v. c. ſudore, linguae habitu cet. petere, nec tamen ea omnia ſufficere, recte monet, ad morbi veram ideam formandam, et tunc demum indicium ex iis deſumi poſſe, ſi ex aliis ſignis ex corporis actionibus impeditis iam de cauſa morbi rite inſtructus fuerit medicus. Hanc quoque ob rationem addit catalogum quaeſtionum earum, ad quas attendere quiuis aeger debeat, ſi abſenti medico ſuae aegritudinis ideam efficere cupit.

No. 23. *Hiſtoria corticis Peruuiani.* Praeſtantiſſimi huius corticis effectus, cum periculoſiſſimis duobus morbi generibus, putredini nempe ac gangraenae is medeatur, ſummi omnino momenti videtur.

Ex Cl. CONDAMINE deſcriptione optimus cortex in monte *Cajanuma* prope *Loxam* colligitur. Adulteratur *Chacarillae* et *Alizier* cortice, quos exercitatus tamen oculus probe diſtinguit. In Peruanis regionibus non *Quinquina* ſed *Cortega de Loxa* vel *Caſcarilla* dici ſolet, miratur hinc Noſter, quid ſit, quod in noſtris aliisue prouinciis hoc nomine inſigniatur. Contra febres intermittentes in vſum vocare primo conſueuerunt medici, cum tamen ex peruerſo eius vſu multa oriri viderent incommoda, reiicere

reiicere eum, imo pro veneno habere inceperunt ii, qui de effectibus tantum, non vero de eorum cauſis ſolliciti erant. Diſquirit ideo Noſter, quae ſint mali euentus huius cauſae, et tandem recenſet alios morbos, quibus tuto ſatis ac cito cortex hic ſaluberrimus medeatur eumque pro vero contra gangraenam ſpecifico meritis laudibus extollit.

Part. II. no. 41. *de opio* diſſerit. Succus hic ex papaueris capitibus elicitus, a veteribus *meconium* dictus, varias ſui differentias offert. Album opium, *Mesri* quod appellatur, optimum eſt, et ex *Cairo* apportatur; nigrum et duriuſculum ex *Aden*, et flauum, quod molliuſculum, ex *Cambaia* et *Decan* venit. Doſis a conſuetudine determinatur. Adfert noſter Turcae cuiusdam exemplum, qui quotidie 3 drachmas et vltra deuorabat. Effectus nociuos longo catalogo recenſet, quanquam et fatetur, mira poſſe eius vſu effici a rationali medico, qui rite et iuſto tempore illud adhibere noſcat. Licet vero opium in inteſtinorum canali fortius agat, mitiſſimos tamen tantummodo producit effectus ſanguini animalis cuiusdam infuſum. Vulneribus autem inſperſum melancoliam et miras conuulſiones excitat. Omnes vero effectus et nociuos et ſalutares ſola experientia nos docet. Hinc prodeſſe monet Auctor opium ſi rite adhibetur in nephritide, in parturientium doloribus et mitigandis et prouocandis, in infantum diſpoſitione rhachitica; nocere vero in hecticis, quamuis hi poſt eius vſum mire delectentur, in vulnerum ſuppuratione cet.

No. 46. *de torpedine* eiusque miris effectibus in concutiendis corporis partibus agitur in literis adiectis, veroque ſimile ipſi videtur et experientia commonſtratum, eosdem poſſe expectari ab hac concuſſione in paralyticis membris vſus, quos dicitur praeſtare vis electrica in corporibus mota.

XVIII.

XVIII.

Noua physico - medica.

Nomina Doctorum Regentium Facultatis Medicae Parisiensis *.

IACOBVS BENIGNVS WINSLOW, Antiquior Scholae Magister, Censor Regius, Regiae Scientiarum Academiae, Regiaeque Societ. Berolinensis Socius, Teutonicae Linguae Regius Interpres, in Horto Regio Anatomes et Chirurgiae Professor Antiquus.

M. CA-

* Reddimus hic catalogum Doctorum Facultatis Medicae Parisiensis, non mutatum, qualem Parisiis praecedenti anno 1759 ab amico, fide digno, accepimus et licet ex his nonnulli ex eo tempore e vita discesserint, vt Cl. WINSLOW, illum tamen integrum tradere consultius duximus, quam nostra emendatione errores committere. Nec ingratum lectoribus nostris fore, nobis persuadere videmur, si paucula illa, quae de hoc ordine academico edocti fuimus, cum iis communicauerimus.

Praeest huic societati medicorum academicae Decanus, (*Doyen en Charge*) cuius vero munus, cum non perpetuum sit, ex ordinis huius legibus post anni decursum in alium transit; plerumque tamen duo consumuntur anni, priusquam noua instituitur electio, quae primo die Saturni post festum, in memoriam omnium sanctorum celebratum, fieri solet. Auctoritas vero huius muneris non solum intra hanc societatem recluditur, sed quoque latius patet, locum etenim Decanus etiam occupat in iudicio Rectoris Academiae. Munere functi vocantur *Decani antiqui.* Eodem die, quo hic Decanus eligitur, Professores quoque constituuntur, quibus per hunc annum artem medicam docendi demandatur officium. Horum sunt sex, physiologiae scilicet, pathologiae, pharmaciae et botanices. Cum vero chirurgia non solum artis medicae studiosis, sed etiam iis,

M. CAMILLVS FALCONET, Salubris Conſilii Regii Socius, e Regia Inſcriptionum et Numismatum Academia.

M. FRANCISCVS POUSSE, Eques.

M. PETRVS ANTONIVS LEPY.

M. CLAVDIVS ANTONIVS RENARD.

M. MICHAEL LVDOVICVS VERNAGE, Eques et Regius Cenſor.

M. LVDOVICVS CLAVDIVS BOURDELIN, Antiquus Facultatis Decanus, Regiae Scientiarum Academiae Socius, Regiaeque Societatis Berolinenſis, et in Horto Regio Chymiae Profeſſor.

M. EMA-

iis, qui vnice chirurgiae ſunt dediti, tradatur, hi vero linguae latinae vtplurimum rudes eſſe ſoleant, duo conſtituuntur Profeſſores, quorum alter chirurgiam lingua latina, alter gallica in commodum chirurgorum doceat. Inter plurima, quae hic ordo academicus exequitur officia, hoc admodum ſalubre videtur et potiſſimum in ſalutem pauperum cedit, quod qualibet hebdomade, die quippe Saturni, Decanus, qui tunc temporis ordini praeeſt, et ſex Doctores, ſecundum ordinem inſcriptionis electi, in auditorio ſcholae ſuperioris conueniant eo conſilio, vt pauperibus contra morbos, quibuscum vel ipſi, vel alii conflictantur, ſalutaria gratis exhibeant conſilia. Praeterea hoc quoque conſuetudinis eſt, vt Decanus modo dictus et duodecim membra huius ſocietatis conuentum habeant, in quo morbi epidemici, ſi qui forte praeſenti vel praeterito menſe ſaeuirent, ; et inprimis maligni referuntur, expenſaque illorum indole et collectis conſiliis methodi ſtabiliuntur, quibus hi morbi ſint oppugnandi. Huic conuentui dies Saturni is, qui primus eſt ſingulorum menſium, conſtitutus eſt.

Ab eo, qui ad hunc ordinem academicum adſpirare vult, plura poſtulantur, quae praeſtare debet, vt conſtet, illum tanto eſſe non indignum honore. Ante omnia requiritur, vt ſit vel artium liberalium Magiſter et demonſtret, ſe quadriennium in arte medica

M. EMANVEL MAVRITIVS DU VERNEY.
M. GVILIELMVS DE MAGNY.
M. DAVID VASSE.
M. NICOLAVS LE ROY DE SAINT AIGNAN, Eques.
M. LVDOVICVS HIERONYMVS COSNIER.

M. IOAN-

medica addiſcenda in hac Pariſina Academia conſumſiſſe, vel ſit Doctor exterae alicuius Academiae. Deinde ſe primo ſubmittat examini, quod integram hebdomadem perdurat, in qua in eius ſcientiam, in phyſiologia, hygiene et pathologia acquiſitam, inquiritur, viresque eius tentantur in explicandis aphorismis HIPPOCRATIS. Hoc facto, nondum ipſi licet vlterius progredi, ſed duos annos expectare iubetur, intra quos quatuor theſes medicae, quae cum quaeſtionum forma proponantur, *Quaeſtiones* vocantur, palam in cathedra ipſi ſunt defendendae. Tres deſumuntur ex phyſiologia, pathologia et chirurgia et barbaro nomine dicuntur *Quaeſtiones Quodlibetariis Diſputationibus diſcutiendae;* vna vero, ex hygiene depromta, *Quaeſtio Cardinalitiis Diſputationibus diſcutienda* nuncupatur. Quatuor praeterea ſunt ſubeunda examina, quorum quodlibet iterum integram durat hebdomadem. In primo examinatores expiſcari ſolent, quantum profecerit candidatus in hiſtoria materiae medicae. Secundum anatomiae et tertium chirurgiae eſt deſtinatum. In vtroque vero non ſolum hiſtorica ſcientia, ſed et dexteritas quaedem poſtulatur ex vtriusque doctrinae legibus et apte cadauera diſſecandi et operationes chirurgicas inſtituendi. Quo itaque hanc oſtendere poſſit candidatus, cadauer ipſi proponitur, quod non ſolum manu ſua artificioſe diſſecare, ſed etiam in illo operationes chirurgicas perficere debet. Quartum tandem examen inſtituitur in medicinam clinicam. Quibus omnibus praeſtitis denique a membro quodam facultatis Doctor creatur, pileo, honoris iſtius documento, capiti impoſito formulaque Benedictionis ex ritu eccleſiaſtico a Cancellario Noſtrae Virginis ſuper eo recitata.

M. GVILIELMVS IOSEPHVS DE L'EPINE, Antiquus Facultatis Decanus, Rei Herbariae pro temp. Profeſſor.

M. IOANNES BAPTISTA DU BOIS, Profeſſor Regius emeritus.

M. FRANCISCVS MERY.

M. IOANNES ASTRUC, Salubris Conſilii Regii Socius, Regis Poloniae AVGVSTI II. et Electoris Saxoniae, dum viueret, Medicus Primarius, Profeſſor Regius.

M. BERNARDVS DE IUSSIEU, Regiae Scientiarum Academiae, Regiaeque Societatis Londinenſis Socius et in Horto Regio Botanices Prodemonſtrator.

M. IOANNES BAPTISTA BOYER, Facultatis Decanus, Eques Ordinis Regii S. Michaelis, Regis Conſiliarius Medicus in Supremo Senatu ac in Generali Praefectura Pariſienſi, Militarium Regni Noſocomiorum Inſpector, Regius Librorum Cenſor et Societatis Regiae Londinenſis Socius.

M. PAVLVS IACOBVS MALOUIN, Reginae Medicus Ordinarius, Regiae Scientiarum Academiae, Regiaeque Societatis Londinenſis Socius, Regius Librorum Chymicorum Cenſor.

M. ANTONIVS NICOLAVS GUENAULT.

M. LVDOVICVS PETRVS LE HOC.

M. RAYMVNDVS DE LA RIVIERE.

M. ANTONIVS CASAMAIOR, Cenſor Regius.

M. LVDOVICVS MARIA POUSSE, Eques, Cenſor Regius.

M. HYACINTHVS THEODORVS BARON, Pharmaciae pro tempore Profeſſor, antiquus Facultatis Decanus, nec non Caſtrorum Regis ac Exercituum in Germania et Italia Proto-Medicus.

M. IOANNES BAPTISTA LVDOVICVS CHOMEL, Facultatis Exdecanus et Academiae Cenſor, Medicus Regis Ordinarius.

M. ACHILLES FRANCISCVS FONTAINE.

M. IOSEPHVS DE IUSSIEU, Regiae Scientiarum Academiae Socius.

M. IOANNES DE DIEST.

M. FRANCISCVS FELICITAS COCHU.

M. CLAVDIVS CAROLVS DEIEAN.

M. IACOBVS ALBERTVS HAZON.

M. GASPARDVS COCHON DU PUY, Eques, Regis Conſiliarius et in arce maritima Rupifortenſi Anatomes ac Chirurgiae Profeſſor Regius.

M. TVSSANVS GILBERTVS BOULLAND, Conſiliarius et Medicus Regis Ordinarius in eius Caſtelleto.

M. CAROLVS PAYEN.

M. BARTHOLOMAEVS MURRY.

M. ANTONIVS FERREIN, Profeſſor Regius, Regiae Scientiarum Academiae Socius, in Horto Regio Anatomes et Chirurgiae Profeſſor.

M. MICHAEL IOSEPHVS MAIAULT.

M. MICHAEL PHILIPPVS BOUVART, Regiae Scientiarum Academiae Socius.

M. IOANNES IACOBVS BELLETESTE.

M. LAVRENTIVS FERRET, Eccleſiae Camerecenſis Canonicus.

M. GUIDO ANDREAS GARNIER, non Regens.

M. GEDEON DE RABOURS.

M. CAROLVS DIONIS.

M. IOSEPHVS EXVPERIVS BERTIN, Supremi Valachiae et Moldauiae Principis Medicus olim Ordinarius et Regiae Scientiarum Academiae Socius.

M. LVDOVICVS GVILLELMVS LE MONNIER, Conſiliarius Medicus Regis Ordinarius, Regiique Noſocomii S. Germani in Laya, Regiarum Pariſienſis, Londinenſis ac Berolinenſis Academiarum Socius, in Horto Regio Botanices Profeſſor ac Demonſtrator.

M. LVDO-

M. LVDOVICVS ALEXANDER VIEILLARD.

M. LEANDER PEAGET, Chirurgiae pro tempore Profeſſor, Conſiliarius et Medicus Regis Ordinarius in eius Caſtelleto.

M. BENIAMIN LVDOVICVS LVCAS DE LAUREMBERT.

M. ANDREAS CANTWEL, Regiae Societatis Londinenſis Socius.

M. THEODORVS BARON, Pharmaciae pro tempore Profeſſor, Regiae Scientiarum Academiae Socius et Cenſor Regius.

M. PETRVS BERCHER, Celſiſſimae Principis Parmae et Placentiae Duciſſae Archiater.

M. IVLIANVS BUSSON.

M. IOSEPHVS MARIA FRANCISCVS DE LA SÔNE, Cenſor Regius et Regiae Scientiarum Academiae Socius.

M. PETRVS IOSEPHVS MACQUER, Regiae Scientiarum Academiae Socius et Cenſor Regius.

M. PETRVS LALOUETTE.

M. CAROLVS FRANCISCVS BOUTIGNY DES PREAUX.

M. IACOBVS FRANCISCVS LE CHAT DE LA SOURDIERE.

M. FRANCISCVS DAVID HERISSANT, Regiae Scientiarum Academiae Pariſienſis, Regiaeque Societatis Londinenſis Socius.

M. NATALIS MARIA DE GEVIGLAND.

M. IOANNES STEPHANVS GUETTARD, Regiarum Academiarum Pariſienſis ac Florentinae Socius, Cenſor Regius et Muſaei Hiſtoriae Naturalis S. Aurelianenſium Ducis Cuſtos.

M. CAROLVS LVDOVICVS LIGER.

M. LVDOVICVS RENATVS DESBOIS.

M. IACOBVS VERDELHAN DES MOLES, S. Principis CONDAEI Conſiliarius et Medicus.

M IOANNES LE THIEULLIER.

M. FRANCISCVS BERNARD.

M. PETRVS CHEVALIER.

M. PETRVS ARCELIN.

M. CLAVDIVS BOURDIER DE LA MOULIERE, Eques.

M. ANTONIVS LE CAMUS, Academiae Regiae Rupellenſis et Societatis Litterariae Catalaunenſis.

M. PETRVS POISSONNIER, Profeſſor et Cenſor Regius, nec non Militarium Regis Noſocomiorum in Alſatia Medicus et Inſpector Primarius.

M. IOSEPHVS LALLEMANT.

M. LVDOVICVS RENATVS MARTEAU.

M. IOANNES CLAVDIVS MUNIER, Conſiliarius Medicus Regis Ordinarius et Domus Regiae Invalidorum Ducum ac Militum.

M. FRANCISCVS BIDAULT.

M. LVDOVICVS PATHIOT.

M. FLORENTIVS CAROLVS BELLOT, Profeſſor Regius.

M. PASCASIVS BORIE.

M. STEPHANVS POURFOUR DU PETIT.

M. ANTONIVS PETIT, Chirurgiae gallico idiomate in gratiam chirurgorum pro tempore Profeſſor.

M. LVDOVICVS GABRIEL DUPRE.

M. BARTHOLOMAEVS TVSSANVS LE CLERC.

M. DIONYSIVS CLAVDIVS DOULCET, Publicae Facultatis Bibliothecae Praefectus.

M. IOANNES FRANCISCVS PARIS.

M. NATALIS ANDREAS IOANNES BAPTISTA CHESNEAU.

M. DIONYSIVS PAUTIER DE LA BREVILLE.

M. STEPHANVS LVDOVICVS GEOFFROY, Scholarum pro tempore Profeſſor.

M. BERNARDVS NICOLAVS BERTRAND.

M. ANNA CAROLVS LORRY.

M. CAROLVS FRANCISCVS THERUOLDE DE VALLUN, Eques.

M. IOANNES IACOBVS MESSENCE.

M. IACOBVS BARBEV DU BOURG, Regiae Scientiarum Academiae Stockholmienſis Socius.

M. PE-

M. PETRVS AVGVSTVS ADET.

M. HVGO CAPET.

M. FRANCISCVS DE PAVLA COMBALUSIER.

M. LVDOVICVS IOANNES BAPTISTA COSNIER, Scholarum pro tempore Profeſſor.

M. CAROLVS AVGVSTINVS VANDERMONDE.

M. ANNA CLAVDIVS DORIGNY.

M. FRANCISCVS THIERY.

M. IOANNES MAC-MAHON, Antiquus Militarium Regis Noſocomiorum Medicus, Regiae Scholae Militaris Medicus Ordinarius.

M. AMBROSIVS HOSTY.

M. LVDOVICVS ALEXANDER GERVAISE.

M. MARTINVS NOUGUEZ.

M. IOANNES FRANCISCVS CLEMENS MORAND, Eques, Regiae Societatis Lugduni Socius, Regii Medicorum Nanceianorum Collegii Socius Honorarius.

M. CLAVDIVS FRANCISCVS GRANCLAS, Eques, STANISLAI, Poloniarum Regis, Lotharingiae et Barri Ducis Conſiliarius et Medicus, nec non Anatomes et Artis Obſtetriciae in gratiam Matronarum pro tempore Profeſſor.

M. IACOBVS LVDOVICVS ALLEAUME, Militarium Noſocomiorum ad Regis Exercitum Medicus.

M. ANTONIVS GARNIER, non Regens.

M. CAROLVS GEILLE DE SAINT LEGER.

M. ALEXANDER DIONYSIVS DIENERT.

M. PETRVS LVDOVICVS MARIA MALOET.

M. LVDOVICVS PETRVS FELIX RENATVS LE THIEULLIER, Regis Conſiliarius et in maiori Conſilio, nec non in magna Regiae Familiae et Franciae Praefectura Medicus Ordinarius.

M. LVDOVICVS ANNA LAVIROTTE, Cenſor Regius.

M. CAROLVS GILLOT.

M. IOANNES BAPTISTA THURANT.
M. EDMVNDVS THOMAS MOREAU.
M. CLAVDIVS IOSEPHVS GENTIL, Militarium Nosocomiorum ad Regis Exercitum Medicus.
M. IACOBVS FRANCISCVS LATIER.
M. IOANNES BAPTISTA BARJOLLE, non Regens.
M. SIMON ANTONIVS BRINGAUD.
M. IOANNES BAPTISTA BASSEVILLE.
M. IACOBVS GOURLEZ DE LA MOTTE.
M. CLAVD. THOM. GVILIELM. GUILBERT DE PREVAL.
M. PETRVS ABRAHAMVS PAION DE MONCETS, Eques.
M. THEOPHILVS DE BORDEU, Eques, Nosocomii Regii et Militaris Baregiensis Medicus designatus.
M. HENRICVS IACOBVS MACQVART.
M. IOANNES NICOLAVS MILLIN DE LA COURVEAVLT.
M. IOANNES BAPTISTA HATTE.
M. HENRICVS MICHAEL MISSA, Militarium Nosocomiorum ad Regis Exercitum Medicus.
M. IOANNES LVDOVICVS MARIA SOLIER.
M. PETRVS IOSEPHVS MORISOT DESLANDES.
M. CLERIADVS VACHIER.
M. GVIDO DAN. DESPATUREAVX.
M. IOANNES BAPTISTA FRANCISCVS DE LA RIVIERE.
M. LVDOVICVS MARIA GIRARD DE VILLARS.
M. IACOB SAVARY.
M. IOANNES DESCEMET.
M. GVILIELMVS BERTHOLD.
M. MAXIMILIANVS IOSEPHVS LEYS.
M. GVILIELMVS FVMEE.

M. MARIN

M. MARIN IACOB CLARVS ROBERT.
M. FRANCISCVS LVDOVICVS THOMAS D'ONGLEE.
M. NATALIS NICOLAVS MALLET.
M. IOANNES ST. JOIRE.

Imperialis Scientiarum Academia *Petropolitana*, in ſolemni, nuper die ſeptembris ſexto ſtyli veteris 1760 habito, conuentu, de commentariorum dignitate ſuper quaeſtionibus ad annos 1757, 1758, 1759 et 1760, ab ipſa propoſitis *, iudicium ſuum tulit praemiaque decreuit dignioribus viſis. Illud *de motibus diurnis planetarum circum axes proprios* reportauit Vir. Cl. IOANNES ALBERTVS EVLER, Academicus Berolinenſis; alterum vero *de magnetibus artificialibus* Vir quidam doctus Lutetiae Pariſiorum degens, qui in adiecta ſchedula nomen ſuum munusque, quo fungitur, ita expreſſit: *L'Auteur de ce Memoire eſt* ANTHEAULME *Syndic des tontines à Paris.* Tertium *de ſexu plantarum* praemium adiudicatum fuit Illuſtri illi botanico atque medico, CAROLO LINNAEO; quartum vero *de indaganda refractione radiorum lucis in diuerſis corporibus*, ad aliud tempus differri debuit, quum vnicam tantum de hoc argumento diſſertationem acceperit academia neque noua aliqua experimenta continentem.

Inſuper in eodem conuentu duas alias quaeſtiones eruditorum ſtudio obtulit *eadem* Ill. *Academia*, quarum prima ad annum 1760 pertinet: *determinare* nimirum *theoriam perturbationum*, quas *patiuntur cometae in motu ſuo ab attractione planetarum, et demonſtrare, quantum haec theoria cum obſeruationibus cometae anni* 1759 *conueniat?*

* vid. Comment. noſtr. Vol. VII. P. I. p. 184.

Alterius nouae quaeſtionis praemium in annum 1762 proponitur. Hiſce eam verbis ab Ill. Academia expreſſam legimus: *Inueſtigare, quantum imperfectiones tuborum opticorum et microſcopiorum, ex diuerſa refrangibilitate radiorum ac figura vitrorum ſphaerica ortae, per combinationem plurium lentium corrigi, aut imminui, queant, atque theoriam praxi aptare et per experimenta comprobare.* Ante primum diem iunii cuiusque anni tradi debent Academiae ſuper his argumentis conſcripti commentarii, quae, vti huc vsque ſolita fuit, ſub conditionibus ſatis notis optimae cuiusque quaeſtionis ſolutioni praemium centum aureorum ſtatuet.

Alia porro *Petropoli* ad nos relata habemus noua literaria, ad noſtrum inſtitutum pertinentia ideoque cum lectoribus noſtris communicanda:

Inter amoena loca, in quae aeſtatis tempore ſecedere ſolet Imperialis Aula Ruſſica, quam maxime referri debet magnificum illud palatium, a PETRO *Magno* exſtructum ideoque nomen ſuum, *Peterhof*, ab illo adeptum. In illo aulam ſecutus, nuper, die auguſti trigeſimo, vel ſi ad noſtros faſtos numeres, ſeptembris decimo huius anni 1760, ſubitanea morte ex hac vita diſceſſit Vir, dum viueret, Illuſtriſſimus, PANAIOTA (Ruſſis *Pawel*, Latinis *Paullus*, dici ſolitus) CONDOIDI, Corcyraeus, Medicinae Doctor, Auguſtae Ruſſiarum Imperatricis et Autocratoris Conſiliarius Intimus, Perſonae Auguſtiſſimae Medicus Primarius et Rei Medicae per totam Ruſſiam Supremus Director, ſiue Archiater*, aetatem

* Archiatri, *quem alii quoque archiatrorum Comitem appellant, nomine in Ruſſia non is inſignitur, qui principi eſt a ſanitatis conſiliis, ſed qui rei medicae per vniuerſum regnum curam habet ideoque ſic dictae* Cancellariae *medicae praeeſt, honoris dignitate admodum inſigni*

aetatem quinquaginta trium annorum consecutus. Anno huius seculi vicesimo quinto ad suum patruum, ATHANASIVM, qui tum temporis *Archimandritae* sic dicti munere fungebatur, Vologdae deinde Archiepiscopi dignitate exornatus, moriebatur, *Noster* se conferebat Petropolin. Recens tum ibi constitutae scientiarum academiae a patruo commendatus, literarum studio nauabat operam per integrum biennium. Lugdunum Batauorum deinde petebat, vt HERMANNO BOERHAAVIO in scientia medica vteretur praeceptore. Quo studiorum cursu ibi finito, eruditionis augendae gratia anno seculi tricesimo primo iter faciebat per Galliam atque Angliam, tumque in Academiam Lugduno-Batauam reuersus, Doctoris Medici honoribus ab eadem exornabatur. Posthaec anno tricesimo tertio se recipiebat Petropolin pauloque post castrensis medici obtinebat prouinciam. Quum LESTOCKIVS adhuc ad rerum medicarum gubernacula sederet, ab ipso *Noster* in *Cancellariam medicam* per aliquod tempus introductus, in negotiis curandis ipsum adiuuabat *. Post illum hoc munere fungebatur etiam nunc laudatus HERMANNVS KAAV BOERHAAVE; quo autem anno seculi quinquagesimo tertio vita defuncto, cuncta ab hoc gesta munera anno sequenti

insigni cohonestatus. Qua de re, si velis, legere poteris relationem a IO. BERN. DE FISCHER *traditam in Actis Acad. Nat. Cur. Vol.* IX. *anni* 1752. *pag.* 340.

* Archiater *ea quoque gaudet potestate, vt, si velit, vnum alterumque medicorum sibi eligat laborum in Cancellaria medica obuiorum socium, qui vel cum ipso praesente, vel absente etiam, eius tamen iussu, curet negotia: qua tamen re nullam prae aliis medicis consequitur is praerogatiuam. Praeter alia ad hoc munus necessaria merita, Russicam quoque linguam perfecte callere, vel per plures iam annos artem medicam in Russia exercuisse eum oportet, quo medicorum statuta cognita habeat.*

deferebantur in *Noſtrum*, ita vt ipſius *Auguſtae* perſonae medicus, archiater atque conſiliarius intimus crearetur. Ex quo tempore officiis ſuis ſedulo et cum fide atque dexteritate ſatis faciens, morumque ſuauitate excellens, multum valebat gratia apud Aug. Imperatricem, auctoritate apud eos, qui ipſum venerabantur ſibi praepoſitum, amore tandem honorisque cultu apud reliquos, quibuſcum vel contraxerat amicitiam, vel qui ſaltem eius merita cognoſcendi habuerant opportunitatem.

In h. CONDOIDI locum ab Auguſtiſſima Imperatrice, qui ipſi ſint a ſanitatis tuendae conſiliis, electi ſunt Viri Illuſtres, MOUNSEY, Scotus, et SCHILLING, Medicinae Doctores, Conſiliarii huc vsque Aulici, nunc vero actualium, qui dici ſolent, Conſiliariorum Status honoribus ac dignitate exornati. Ille Moſcua, vbi apud exercitum conſtitutus medicus olim iam meruit, honorifice euocatus fuit Petropolin; hic vero medicus ex aliquo tempore fuit cohortis generoſorum puerorum, qui artes bellicas terreſtres edocentur Petropoli. Cui vero praeter hos delatum fuerit archiatri munus, nobis nondum conſtat. Tertium autem, quem huc vsque habuit, medicorum locum et nunc obtinuit Ill. DAVIDES DE GORTER.

CAROLVS porro FRIDERICVS KRVSE, M. D. legionum praetorianarum hactenus medicus, hoc munere ſatis inſigni admodumque fructuoſo iam ex aliquo tempore ſe abdicauit, in gratiae tamen retentae documentum Conſiliarii Collegiorum dignitatem adeptus. Ex illo otio, quod Vir hic doctiſſimus quaerit, eximia expectare poterit orbis literarius. Ante plures enim iam annos HERMANNI KAAV BOERHAVII filiam is duxit in matrimonium, hacque ratione, optimo illo Viro ipſiusque fratre, ABRAHAMO, vtroque ante aliquot annos

annos mortuo, cuncta ab auunculo, magno illo HERMANNO BOERHAAVIO relicta, opera manu ſcripta accepit. Inaeſtimabilem hunc theſaurum, quem inprimis chemica, practica multa, conſultationes potiſſimum medicas doctumque literarum commercium continere legimus, iam olim ſe edituruum eſſe promiſit b. ABRAHAMVS KAAV BOERHAAVE, eoque mortuo Noſter Ill. KRVSE *. Ne vero diutius viri docti expectent hoc opus *Boerhaauianum* poſthumum, ab aliis laboribus liberum ſe eſſe voluit Cl. KRVSE, vt tempus ſibi ſupereſſet, quod in colligenda illa ſcripta eaque in ordinem redigenda impendere poſſet; quam ob cauſſam optimo Viro praeter otium, quod nactus fuit, vitam ſanitatemque ex animo apprecamur.

In locum igitur, legionum praetorianarum medici, quo abiit Ill. KRVSE, ſurrogatus ſtatim fuit Ill. IOANNES ANDREAS VNGEBAVER, M. D. Conſiliarius Aulicus, maximi noſocomii terreſtris dicti, atque ex anno 1756 ſupremus copiarum Ruſſicarum medicus.

Illae tandem ſummi copiarum medici partes, quas hactenus expleuerat Ill. VNGEBAVER, datae nunc ſunt Cl. Viro, IOANNI CHRISTOPHORO KVHLEMANNO, Medicinae Doctori, doctiſſimis ſuis *obſeruationibus circa negotium generationis in ouibus* factis claro, Gottingae anno ſeculi quinquageſimo tertio ſub diſſertationis forma pro capeſſendis Doctoris Medici honoribus editis ac publice defenſis.

Regia Chirurgiae Academia *Pariſienſis* nouam propoſuit nuper quaeſtionem, cuius ſolutiones a Viris

* vid. Nou. Commentar. Acad. Scient. Imperial. Petropolit. Tom. IV. ad annum MDCCLII et MDCCLIII. Petropoli 1758 pag. 382 et in Summario p. 43.

Viris doctis factas ſubſecuturo anno 1762 publico poſt feſtum paſchatos dictum habendo conuentu diiudicabit, optimae conſuetum praemium adſignatura: *Modum* ſcilicet, *determinare, quo aperiri abſceſſus et ex artis legibus, pro diuerſis, quas occupant, corporis partibus curari debeant?* Commentarii ideo conſcribendi ante finem anni 1761 Academiae tradendi ſunt, iisdem, quae huc vsque obtinuerunt, conditionibus obſeruatis.

De quaeſtionibus ab Academia *Burdigalenſi* ad annos 1761 et 1762, praemio promiſſo propoſitis, ſupra quidem retulimus *: nunc tamen nouam aliquam, praeter illam *de vi electrica, corpori humano vtili, an nociua?* ad annum quoque 1762 referendam, ab illa deprehendimus oblatam: *Quaenam vera nimirum ſint fundamenta, quibus ars ſurculos inſerendi innitatur? et quaenam inde elici queant adminicula artem illam et felicem et perfectam reddendi?* Ante primum maii diem eiusdem anni Academiae tradi debent commentarii, conſuetis legibus ſaepius a nobis iam commemoratis, et nunc quoque obſeruandis.

Regia Scientiarum et Elegantiorum Literarum Academia *Berolinenſis* in numerum Extraneorum Membrorum ſibi nuper adſciuit ſocios ſequentes Viros Clariſſimos: Caſſellis, IOANNEM IACOBVM HVBER, Ph. et Med. D. Anat. et Chirurg. Profeſſ. et Ser. Landgrauii Haſſiae Conſiliarium Aulicum atque Archiatrum; Bononiae FRANCISCVM ZANOTTI, Academiae ſiue Inſtituti, quod dicitur, Litterarii Secretarium, EVSTACHIVM ZANOTTI, Aſtronomiae, atque CALDARI, Anatomiae Profeſſorem; Hagae Comitum, celebrem illum hiſtoriae naturalis cultorem, LYONET, cauſſarum patronum; Lutetiae Pariſiorum, dexterrimum chymicum

DE

* vid. Comment. noſtr. Vol. VII. P. II. p. 363. et Vol. VIII. P. II. p. 352.

DE MACHY; Ponte Arolae tandem in Heluetia, IOANNEM GEORGIVM ZIMMERMANN, Med. Doct. inque modo dicta vrbe medicum publica auctoritate constitutum siue sic dictum physicum.

Augustae Taurinorum a Pot. Sardiniae Rege Vir Cl. nobisque amicissimus, CAROLVS ALLIONE, Ph. et Med. D. nonnullarum Academiarum Socius, nuperrime tantum a nobis laudatus *, praegresso mense maio 1760 nominatus fuit, qui horti publici curam susciperet et Botanices Professoris munere fungeretur.

Tertium Professorum Medicinae locum, qui in Academia *Helmstadiensi* adhuc vacuus erat, nunc obtinuit Vir Cl. IOANNES TRAVGOTT ADOLPH, Med. et Chirurg. Doct. Anatomiae nunc et Chirurgiae Professor Ordinarius, programmate ad indicandas lectiones suas edito *de capsa Petitiana pluribus cruris complicate fracti casibus aptanda*, icone satis eleganti addita, quae formam eius atque vsum illustrat.

Vindobonae Ill. ANTONIVS DE HAEN, Med. D. Consiliarius Aulicus ac Medicinae Practicae in Vniuersitate Vindobonensi Professor Primarius, cuius merita depraedicandi paulo antea habuimus occasionem ** ab Augustissimo Imperatore nostro in numerum Caesareorum Archiatrorum relatus fuit, hac in primis muneris parte ipsi data, vt Sereniss. Coniugis Archiducis IOSEPHI sanitatis curam habeat.

Berolini

* vid. Comment. nostr. Vol. VIII. P. VI. p. 600.
** vid. in hac ipsa Parte p. 84.

Berolini viuere nuper desiit par medicorum, senio quidem confectorum, at meritis illustrium, IOANNES nimirum THEODOR ELLER, Med. D. Potent. Borussorum Regis Consiliarius Intimus et Archiater primus, Vir multis muneribus praefectus *, qui nuper die decimo quarto septembris anni 1760 obiit aetatis anno septuagesimo primo. Alter vero paulo post, die vicesimo quarto nouembris, aetatis anno octogesimo sexto vita defunctus fuit CHRISTIANVS SIGISMVNDVS ZEIDLER, Consiliarius et Medicus Aulicus, Supremi Collegii Medici Berolinensis Membrum Ordinarium.

* vid. Comment. nostr. Vol. III. P. II. p. 346 et 348.

Memoria IOANNIS FRIDERICI SCHREIBERI, Medicinae Doctoris, Auguſtiſſimae Ruſſorum Imperatricis Conſiliarii Aulici, Anatomiae et Chirurgiae apud Imperialia noſocomia conſtituti Profeſſoris, Imperialium Academiarum et Petropolitanae Scientiarum Membri Honorarii et Germanicae Naturae Curioſorum Socii.

Qui in Ruſſici imperii prouinciis ſalutaris artis incremento quam maxime inſeruire ſtuduit, IOANNES FRIDERICVS SCHREIBER, Vir de re medica inſigniter meritus, is noſtrae etiam vniuerſitati decori olim fuit atque vtilitati: qua de cauſſa duplicem exiſtimamus eſſe rationem, cur memoriam eius poſteris commendemus. Natus ille erat anno huius ſeculi quinto, die menſis maii viceſimo ſexto, Regiomonti, quae vrbs Boruſſici regni caput, iam ferax huc vsque fuit felicium ingeniorum mater. Patre vtebatur MICHAELE SCHREIBERO, S.S. Theologiae Doctore eiusque in Regiomontana Academia Profeſſore Publico, conſilii ſacri Senatore, in eccleſia cathedrali dicta ſacrorum oratore, et librorum ſupellectili *Wallenrodianae* praepoſito; matre vero AGNESIA, ex gente *Baueria* orta. Quum parentes ipſius ex illis eſſent, qui maximas filiis colligendas poſtque mortem relinquendas diuitias illas eſſe recte iudicabant, quibus ipſorum animus rite formaretur, diuinarum humanarumque rerum cognitione acueretur, veraeque honeſtatis religionisque ſanctitatis amor atque ſtudium excitaretur in iisdem, *Noſtro* quoque tam felici eſſe contingebat, vt a prima iam inde aetate, qua mens demum humana vires ſuas exſerere ſolet, in ſacrorum vero cultu omniumque ſcientiarum elementis a priuatis, quibus

quibus tradebatur, praeceptoribus ſolertiſſime eruditetur. Vitae quidem ſtudiorumque moderatorem, optimum patrem, praematura morte amittebat, duodecim tantum annorum aetatem adeptus: attamen iam tum temporis adeo felices in literis fecerat progreſſus, vt in publicum introduci poſſet gymnaſium. In illo igitur, per quatuor annos ſingulari induſtria in literas, quarum ſcientiam debebat conſequi, incumbebat ideoque iuuenis ſedecim modo annorum dignus iudicabatur, qui altioris indaginis doctrinas poſſet percipere. In numerum itaque patriae academiae ciuium anno huius ſeculi viceſimo primo relatus, praeclaram, quam huc vsque iam prae ſe tulerat, indolem magis magisque nunc publice demonſtrandi nanciſcebatur occaſionem. Praeter varias enim linguas, quibus addiſcendis multum iam temporis tradere debet ſcientiarum cupidus, animum ab initio impellebat in philoſophiam, in primis tamen matheſin, in cuius quippe culturam inſigni ferebatur inſtinctu. Poſt hanc vero principem ſtudii ſui laborumque finem volebat eſſe artem medicam. Quidquid igitur ad hanc percipiendam inuenire poterat in Academia Regiomontana, illud quoque ſedulo conquirebat ſibique faciebat cognitum. Illud autem omne, quum voluntati ſuae non ſatis faceret, apud exteros augere ſuaeque cognitionis ambitum amplificare conſtituebat. Anno igitur ſeculi viceſimo ſexto iter ſuſcipiebat Francofurtum ad Viadrum ſitum, pauloque poſt illud dirigebat Lipſiam. Lugdunum deinde Batauorum petens, illud potiſſimum in votis habebat, vt viri immortalis memoriae, HERMANNI BOERHAAVII, intereſſet lectionibus. Per biennium ſequebatur hunc praeceptorem ſumma cura atque diligentia vixque totus ab eius ore pendebat. Interim tamen reliquos in illa celebri academia doctores

doctores medicos haud negligebat; quin potius quauis data occasione secedebat Amstelodamum, vt cadauera secanti RVYSCHIO a latere esse et anatomen magis magisque posset colere. Anno deinde seculi vicesimo octauo ab academia Lugdunensi, cui huc vsque interfuerat, Doctor medicus creabatur, postquam inauguralem a se conscriptam dissertationem *de fletu* publice defenderat. Vt nunc, quam in arte salutari consecutus erat, doctrinam in aliorum vsum conuerteret ipsamque in primis medendi artem comprobaret vsu atque experientia, Saardamum, quod oppidulum in Hollandia septentrionali situm est, se conferebat ibique per aliquod tempus suum aegrotantibus afferebat auxilium. Vtrumque vitae quidem genus, et academicum, et practicum, placebat *Nostro*; illud tamen apud ipsum praeualebat. Id neque mirum. Quid enim viro literarum amantissimo vereque docto, quae laus *Nostro* sine dubio competebat, gratius, quid ipsi aliorum doctorum vsu atque consuetudine acceptius esse poterit vmquam? Ante tamen, quam certum sibi aliquod seligeret domicilium, Marburgum adibat, vt CHRISTIANI WOLFFII, philosophi atque mathematici iam tum temporis celeberrimi, quem modo nominasse loco laudis vel post mortem erit, iniret consilium ac de quaestionibus et philosophicis et mathematicis cum eo sermones misceret, super quibus ex aliquo iam tempore literarum cum ipso habuerat commercium. Quem igitur finem consecutus, Lipsiam accedebat nostramque vniuersitatem votis suis quam maxime iudicabat accommodatam. Quum vniuersitas nostra nomen suum prae academiis tueatur ita, vt cuilibet viro docto, vel in extera quadam academia gradum aliquem adepto, doctrinam suam publice profiteri liceat, dummodo legibus nostris satis fecerit: *Noster* etiam

his obſecuturus, *meditationes philoſophico - medicae de lacrumis et fletu repetitas magisque euolutas* ex cathedra academica publice defendebat indeque et philoſophicas et mathematicas, quarum erat ſtudioſiſſimus, lectiones habendi poteſtatem ſibi conciliabat. Aperiebat quoque illas ſcholas aeque ac medicas multo cum applauſu, reliquum ab iis tempus priuato muſeo impendens. Nam in conſcribendis non ſolum *actis* noſtris *eruditorum nouisque literariis* ſocius laborum erat atque conſors, ſed alios quoque eruditos ſuſcipiebat labores, inter quos non eius ſolum verſionem latinam IACOBI DOVGLASSII *deſcriptionis comparatae muſculorum corporis humani et quadrupedis* et CLOPTONII HAVERSII *nouarum quarundam obſeruationum de oſſibus et partibus eo pertinentibus*, ſed *elementorum* potius *medicinae phyſico - mathematicorum tomum primum*, anno ſeculi triceſimo primo ab ipſo editorum referimus. Lipſiae placebat *Noſtro* ita, vt absque dubio non facile diſceſſiſſet, niſi poſt biennium cum inſigni emolumentorum ſpe in Ruſſiam euocatus fuiſſet. Eodem quidem anno, ſeculi nimirum triceſimo primo, ad Halam Magdeburgicam abire ibique Profeſſoris philoſophiae et medicinae Extraordinarii munus vellet ſuſcipere, rogabatur, quod vero humaniſſime recuſans, in Ruſſiam ſecedere conſtituebat. Sex enim doctores medici a ſupremo collegio medico Petropolitano euocabantur, vt apud exercitus Ruſſicos ſtipendia mererentur, medici caſtrenſes dicti, quorum tres ab HERMANNO BOERHAAVIO, tres alii vero a Germanorum BOERHAAVIO altero, FRIDERICO nimirum HOFMANNO, commendarentur. Inter hos, quos commendabat HOFMANNVS, *Noſter* quoque erat, qui ea de re cum illuſtri hoc viro, ex auctoritate ſenatus Petropolitani medici

dici, seu *Cancellariae medicae* dictae, pactione facta, Lipsiam eodem anno relinquens, iter suscipiebat in Moscouiam. Moscuam, quae Russici regni caput est, peruenienti praecipiebatur, vt illum exercitum, qui sub imperio Illustrissimi Comitis DE LACY, posthaec summi copiarum Russicarum praefecti, erat, sequeretur. Quoniam vero Comes DE LACY tunc temporis praeerat Liuoniae prouinciae, Rigam quoque repetere oportebat *Nostrum;* quo in itinere Petropolin transiens, ab Imperiali Scientiarum Academia membrum ipsius eligebatur honorarium dictum, die mensis octobris quinto eiusdem anni 1731 publice ab ea receptus. Per duos annos deinde commorabatur Rigae; bello autem anno seculi tricesimo quarto, proh dolor! in Polonia coorto, castra sequebatur Dantiscum, copiisque postea Russicis in auxilium Imperatoris CAROLI sexti missis, in Germaniam reuertendi nanciscebatur opportunitatem. Quo tempore accidit, vt a Potentissimo Magnae Britanniae Rege Gottingae conderetur academia, ad quam illustriorem reddendam celeberrimi virì vndiquaque aduocabantur. SCHREIBERI nostri eruditio atque merita satis iam tum erant cognita; quo fiebat, vt quidam aulae Britannicae minister, cui academiae iam dicta cura simul tradita erat, Professoris Medicinae munus in eadem ipsi offerret. Quanti autem semper is aestimauerat vitam academicam, in praesenti tamen, quum munere, quo fungebatur, se abdicare non posset, illam hac vice missam facere cogebatur. Neque tamen consilii huius ipsum poenitere postea debuit. Quum enim modo nominatum Comitem DE LACY in alio bello contra Turcas gesto comitaretur, supremi copiarum Russicarum medici munus satis insigni honore conspicuum ipsi tradebatur; bello autem finito, publicae sanitatis cura, siue sic dicti

vrbis phyſici prouincia, in totius Ruſſici regni capite, Moſcuae puta, demandabatur. Ea nunc, quam ſaepius ſibi optauerat, felicitatis parte fruebatur, vt tempus ipſi ſupereſſet, quod literarum ſtudio poſſet tribuere, qua de re nonnulla illo temporis ſpatio, quo in illa vrbe degebat, edita ab ipſo ſcripta non tantum teſtantur, ſed vniuerſae medicinae ſyſtema, quod meditabatur, ſub *Almageſti* nomine prodire deinde coeptum, comprobat, quippe cui exarando plures omnino annos impendendos fuiſſe, librum ipſum inſpicienti protinus clarum erit. Quum ſalutarem vero ſcientiam artemque non calleret ſolum, ſed eam docendi quoque felici gauderet facultate, hunc in finem anno ſeculi quadrageſimo ſecundo euocabatur Petropolin, vt anatomiae et chirurgiae apud noſocomia conſtitueretur Profeſſor et chirurgis tironibus vtramque medicinam traderet, quo periti artis ſemper adeſſent, qui inter copias Ruſſicas opem afferre poſſent aegrotantibus. Muneri nunc huic nouo, quod prae aliis ad ipſius erat genium, eadem induſtria eademque fide praerat ac aliis, quibus antea defunctus fuerat, ideoque ſanitatis ſenatus Petropolitani ſeu *Cancellariae medicae* applauſum non merebatur ſolum, ſed eius ſibi potius iam acquiſitam confirmabat beneuolentiam, vt maiores ſatisque largos pecuniae reditus ſaepius augendo ipſi attribueret, annoque tandem ſeculi quinquageſimo ſeptimo de ipſius meritis ad ſummum, qui vniuerſo imperio praeeſt, ſenatum Petropolitanum referret, quo in praemii documentum Conſiliarii aulici honoribus ipſum cohoneſtaret. Quum exercitus in Ruſſia valde numeroſi ſint medicique igitur caſtrenſes iis non ſufficiant, chirurgis aliqua omnino et internis morbis medendi concedenda eſt poteſtas. Ne artis autem ſcientiaeque expertes eſſent atque ignari, hanc ipſos quoque

Noſter

Noſter docuit ideoque breuem aliquam inſtitutionem conſcripſit publicique iuris ante hos quinque annos fecit, a nobis ſuo tempore laudatam *. Priuatum vero ſtudium reliquumque ob officiis tempus exarando, quod ſuſceperat, ſyſtemati potiſſimum medicinae impendebat, quorum laborum primum fructum anno ſeculi quinquageſimo ſeptimo accepimus, quum *Almageſti* ſui primam partem ederet, cuius rationem atque ſummam lectores noſtri a nobis habuerunt relatam **, Vniuerſae medicinae ambitum ad methodum mathematicorum ideoque ea, quae demum eſſe poſſet, diligentia traditurus, longiore omnino vita frui debuiſſet, ſi vaſtum hoc opus ad finem fuiſſet perducendum. Secundam vero eius modo partem prorſus finitam, vt prelo ſubiici queat, reliquit; reliquo labori, qui ad operis perfectionem requiritur, vti et multis aliis ab ipſius ſtudio expectandis fructibus, praematura morte ereptus. Per quinque enim iam annos aſthmate laborare coeperat, cui inſuper proximo ante ipſius mortem anno ſuperueniebat apoplexia leuior, quam excipiebat hemiplegia, paulo tamen poſt ſublata. Obſtructiones tamen, quae iam diu in ipſius pulmonibus atque hepate radices egerant, remanebant, adeo vt eas per vltimos vitae menſes ſequeretur hydrops, cum tuſſi, febre aliisque hoc in morbo non inſuetis ſymptomatibus, quae omni quoque arti omnique medicinae ita reſiſtebant, vt phthiſi tandem ſcrophuloſa dicenda *Noſter* extingueretur anno 1760 die ianuarii viceſimo octauo, ſi ad Ruſſici imperii faſtos numeres, vel ad noſtros, die februarii octauo, deſiderium ſui apud proceres, amicos, quin et vniuerſum orbem literarium, conſecutus. Poſteros quidem haud reliquit, ſed tantum

* vid. Comment. noſtr. Vol. VI. P. III. p. 448.
** ibidem p. 483.

optimam integerrimi et amiciſſimi mariti obitum iure ſummo lugentem viduam, ELEONORAM CHARLOTTAM, vel ſi latinius loqui velis CAROLINAM, ex generoſiſſima gente Sileſiaca *Franckenbergia* oriunda, cuius pater, CASPAR MAGNVS DE FRANCKENBERG vigiliarum praefecti dignitate apud exercitum Ruſſicum exornatus fuerat, quacum matrimonium ſterile quidem, at iucundum, inierat *Noſter* anno ſeculi quadrageſimo die februarii decimo ſeptimo. Illud adhuc commemorari fas erit, tribus iam ante ſui obitum annis a Caeſarea Naturae Curioſorum Academia *Noſtrum* in ipſius ſociorum numerum relatum fuiſſe.

Scripta a b. SCHREIBERO edita, haec ſunt:

Litterae ad SAM. CHR. HOLMANNVM, Philoſophiae Profeſſorem apud Vitembergenſes, ſcriptae, vbi obiectiones, quas viri clariſſimi commentatio in harmoniae praeſtabilitae ſyſtema Leibnitianum exhibet, philoſophice ſoluuntur. Amſtelodami, 1727. 4.

Meditationes philoſophico-medicae de fletu; pro gradu Doctoris. Lugd. Bat. 1728. 4.

Ratio praelectionum ſuarum. Lipſ. 1729. 4. (*de medicina in genere eiusque definitione agit*).

Meditationes philoſophico-medicae de lacrumis et fletu repetitae magisque euolutae. Praeſide I. F. SCHREIBERO, Reſp. *Georg. Dan. Funcke.* Lipſ. 1729. 4.

Idea diſtincta quorundam medicinae principiorum. Exſt. in Actis Erudit. Lipſ. Menſ. Nouemb. 1729. pag. 500 ſeqq.

Frutex, ad verum genus ſuum relatus a I. F. S. Exſt. in Actis Erud. Lipſ. Menſ. April. 1730. pag. 172. ſeqq. (*deſcribit plantam, qnam* BOERHAAVIVS

HAAVIVS *in indice altero plantarum horti Lugdun. Bat. pro* PLVMIERII *Tithymaloide fruteſcente foliis Nerii habuit*).

Elementis medicinae phyſico - mathematicae praemittenda. Liber vnus. Lipſiae, 1730. 8.

Elementorum medicinae phyſico - mathematicorum. Tomus Imus. Praefatus eſt CHRISTIANVS WOLFFIVS. Francof. et Lipſiae. (*Halae*) 1731. 8.

Corporis ac motus conſideratio inſtituta coram Academia Scientiarum Petropolitana, quum III. Nonarum Octobris 1731 in eandem reciperetur Petropoli. 1731. 4.

Additiones neceſſariae ad conſiderationem corporis ac motus. Rigae, 1732. 4.

Hiſtoria vitae et meritorum FREDERICI RVYSCH. Amſtelodami. 1732, 4.

Argumentum hypotheſi influxus phyſici recens oppoſitum, nunc data occaſione euolutum. Vratislauiae, 1735. 4.

Inſerta quoque eſt epiſtola Commercio litterario Norimbergenſi. Ann. 1736. p. 81. *quae de arbore Liſtwinitza ferri naturam induente agit.*

Obſeruationes anatomico - practicae. Exſtant. in Commentariis Academ. Scient. Imperial. Petropolitanae. Tom, VII.

Obſeruationes et cogitata de peſte, quae annis 1738 et 1739 in Vkrainia graſſata eſt. Petropoli, (1740). 4.

Eaedem recuſae, quibus acceſſit appendix, continens obſeruationes de eadem lue, quae iisdem annis Odzacouium vaſtauit. Berolin. 1744. 8.

Eaedem denuo recuſae. Editio vltima Petropolitana correcta et aucta. Petropoli, 1750. 4.

Syllabus ſeu Index omnium partium corporis humani figuris illuſtratus, in vſum chirurgiae ſtudioſorum, qui in Noſocomiis Petropolitanis

 aluntur,

aluntur, publica auctoritate conſcriptus et vulgatus. Petropoli, 1744. 4.

Epiſtola ad veterem amicum ALBERTVM HALLER de medicamento, a IOANNA STEPHENS contra calculum renum et veſicae diuulgato, et inefficaci et noxio. Gottingae, 1744. 4.

Obſeruationes anatomico - practicae. Exſtant in Nouis Comment. Acad. Scient. Imperial. Petropolitanae. Tom. III.

Kurze doch zulängliche Anweiſung zur Erkenntniß und Cur der vornehmſten Krankheiten des menſchlichen Leibes, doch vornehmlich in Abſicht auf erwachſene Mannsperſonen, wie ſolche in den groſſen Hoſpitälern zu St. Petersburg alle Jahr ſeit 1742 bis hieher iſt vorgetragen und erkläret worden. Leipzig, 1756. 8.

Almageſtum medicum Introductio et Phyſiologiae medicae Pars I. Lipſiae et Viennae Auſtr. 1754. 4.

Huius libri Tomus II. iam abſolutus inter Mſcpta b. SCHREIBERI repertus fuit, vt prelo ſubmitti poſſit.

Ex anglico in latinam transtulit linguam

IACOBI DOVGLASSII deſcriptionem comparatam muſculorum corporis humani et quadrupedis, eorum inuentores, ortus, progreſſus, inſertiones, actiones ac differentias exhibentem. Cui adceſſerunt hiſtoria muſculorum feminae ſingularium; tabula explicans muſculorum nomina, plurimique neceſſarii indices Lugd. Batau. 1729. 8. (*Praemiſit etiam huic libro praefationem*).

CLOPTON HAVERS obſeruationes de oſſibus et partibus eo pertinentibus, vbi et ratio, qua creſcunt et nutriuntur, exponitur. Verſio noua, cui accedit I. C. HEYNE tract. chirurg. med. de praecipuis oſſium morbis. Amſtelod. 1731. 8. c. f.

XIX.

Supplementum alterum indicis ſcriptorum phyſico - medicorum, quae anno 1757 prodierunt.

Obſeruations periodiques ſur la Phyſique, l'Hiſtoire Naturelle et les Arts. Ianuier - Decembr. 12 Parties. Tom. II et III. à Paris.

Hiſtoire generale des Voyages ou Nouvelle Collection des toutes les relations des Voyages par Mer et par Terre. Tome XIV. à Paris, 4. c. f.

Eiusd. libri. Tomus 49. 50. 51. 52. Pariſiis, 12. c. f. Voll. 4.

Danmarks og Norges Oeconomiske Magazin, 1 Bind. Kioebenhavn. 4.

Chymiſche Experimente einer Geſellſchaft in dem Erzgebürge. 3 und 4tes Stück. Berlin, 8.

Noticia de la California, y de ſu conquiſta temporal y eſpiritual haſta el tiempo preſente. En Madrid, 4. Voll. 3.

Il Corſo de Pianeti detto Efemiridi; o ſia il Diario de moti celeſte planetari, vero ſpecchio Aſtronomico, nel quale in ogni giorno dell' anno di meſe in meſe ſi fa in quali gradi e minuti de' dodici ſegni celeſti ſi trovano i ſetti Pianeti: quando paſſano da un ſegno nell' altero, e quando Saturno, Giove, Marte, Venere, Mercurio, ſi faccino retrogradi, Stazionari, e ritornino Diretti; e ſotto vi ſono le loco latitudini di 5 in 5 giorni, e le ore Italiane delle Lunazione. Alla dextra pagina ſi vedono gli aſpeti che fanno i Pianeti con la Luna tra loco medeſimi e di piu le ore Italiane, in cui ſieguono li medeſimi aſpetti malefici etc. Siccome anche le ore Aſtronomiche del Sole con la Luna, e le mutazioni de tempi. Opera neceſſaria a Signori excellentiſſimi Medici e Chirurgi, per ben ſalaſſare, e

dare Médécine ſotto buoni aſpetti di Luna. In Milano, 4.

An eaſy Short and certain method of treating perſons bit by mad animals. London, 8.

IOAN. BAPTIST. ANTON. ANDOUILLE. Theſ. anat. et chirurg. de cataracta. Reſp. *Iacob. Renat. Tenon.* Pariſ. 4. c. f.

IOAN LE BAS Theſ. anat. et chirurg. vtrum cataractae tutior extractio forficum ope? Reſp. *Iac. Henr. Dauiel.* ibid. 4.

PETR. BASSVEL. Theſ. anatom. chirurg. de hypopio. Reſp. *Petr. Steph. le Maire.* ibid. 4.

RVDOLPHVS EVERTSEN, Diſſ. de chylificatione inteſtinali. Lugd. Bat. 4.

Sulla Inſenſitivita ed Irritabilita Halleriana, opuſculi di vari Autori, racolti da GIACINTO BARTHOLOMEO FABRI, Parte Ima, nella quale ſi contengono tutte le coſe favorevoli al Siſtema del Chiariſſimo Signore HALLER: Parte IIda, nella quale ſi contengono tutte le coſe oppoſte al Siſtema del chiariſſimo Sign. HALLER. in Bologna, 4. c. f. Voll. 2. (*Exſtat iam index huius libri in Commentar. noſtr. Voll.* VII. p. 565. *ſed incompletus et corruptus*).

IOAN. IVNCKER. Diſſ. inaug. de effectibus menſium morbis ſuperuenientium. Reſp. *Io. Sigismund Sicheling.* Halae, 4.

PEHR KALM, Tankar wiſande hwad en Präſt kan bidraga til Oeconomiens uphielpanda. Reſp. *Abrah. Indrenius.* Abo.

Eiusd. Oförgripelige Tankar om det ſa Kallade Gröne Linets plantaring och Skötſel i Orchweſi Sokn. Reſp. *Samuel Saluius.* Abo.

Praelectiones medicae duodecim in theatro collegii medicorum Londinenſium habitae a THOM. LAWRENCE. Londini, 8 mai.

PEHR

PEHR LIDBEK, Diſſ. de ſyluicultura Scaniae. Reſp. *Ebbe Bing.* Lundini Scaniae.

IAMES LIND's treatiſe on the Scurvy in three parts. London, 8.

CAROL. LINNAEVS, Diſſ. inaug. Flora Danica. Reſp. *Georg. Tycho Holm.* Vpſaliae, 4.

Eiusd. Diſſ. Panis diaeteticus. Reſp. *Iſaacus Suenſſor.* ibid. 4.

Eiusd. Diſſ. Natura pelagi. Reſp. *Ioan. Henric. Hager.* ibid. 4.

Eiusd. Diſſ. Buxbaumia. Reſp. *Anton. Roland Martin.* ibid. 4. c. f.

Eiusd. Diſſ. Transmutatio frumentorum. Reſp. *Bogislaus Hornborg.* ibid. 4.

Herrn ANDREAS SIGISMVND MARGGRAFS *chymiſche Unterſuchung eines ſehr merkwürdigen Urinſalzes, welches das Saure des Phosphori in ſich enthält. Aus des gelehrten und erfahrnen Herrn Verfaſſers eignen Handſchrift überſetzt und mit einigen Anmerkungen erläutert. Leipzig,* 4.

IOAN. RVD. METTLERI Diſſ. inaug. de vſu et abuſu inſtrumentorum in partu. Baſileae, 4.

Some Obſervations on the uſe of the Agarik and its inſufficiency in ſtopping haemorrhagies after Capital Operations by GEORGE NEALE. London, 8 mai.

Relazoni d'Inneſti del Vaiuolo fatti in Firenze nell' Autonno dell' anno 1756 diſteſe dal Dottor GIOVANNI TARGIONI NOZETTI. in Firenze, 8.

An Account of a particular Kind of Rupture frequently attendant upon New-born Children and ſometimes met with in adulto viz. That in which the Inteſtine, or Omentum, is found in the ſame Cavity, and in contact with the Teſticle: By PERCIVALL POTT. London, 8.

L'Eco-

L'Economia Animale del Sig. Dottor BRIANO ROBINSON, dal medeſimo difeſa et illuſtrata, con una Lettera apologetica, diretta al Sign. Dottor CHEYNE, concernente le oppoſizioni del Sign. Dottor MORGAN. Et un piu chiaro eſame del moto de i fluidi pe' tubi cilindrici. Traduzioni dall' Ingleſe di BONAVENTVRA PEROTTI die Siena, con alcune annotazione. In Siena, 4.

RAPHAEL BENVEN. SABATIER, Theſ. anat. chirurg. de hernia incarcerata. Reſp. *Thom. Coſte.* Pariſiis, 4.

Eiusd. Theſ. anat. chirurg. de cyſtis felleae tumoribus. Reſp. *Iulianus Gurret.* ibid. 4.

Librorum botanicorum catalogus tertius, in quo recentiores quosdam ad ductum propriae collectionis porro recenſet D. CHRISTOPHOR. IAC. TREW. Norimberg, fol.

I. GOTTSCHALK WALLERIVS, Diſſ. de cupri montis Falunae oeconomia priſca metallica. Reſp. *Ioan. Morenius.* Vpſal.

PAVL GOTTLIEB WERLHOF Obſeruationes de febribus praecipue intermittentibus et ex earum genere continuis. Venetiis, 4.

XX.

Supplementum indicis ſcriptorum phyſico-medicorum, quae anno 1758 prodierunt.

Eſſais et Obſeruations Phyſiques et Litteraires de la Société d' Edinbourg. Tome Premier. Traduits de l'Anglois par M. P. DEMOURS. à Paris, 12.

Danmarks og Norges oeconomiske Magazin. II *Bind.* *Kioebenhavn.* 4.

Neue

Neue geſellſchaftliche Erzählungen für die Liebhaber der Naturlehre, der Haushaltungskunſtwiſſenſchaft, der Arzneykunſt und der Sitten. Hamburg und Leipzig, 8. *m. K.*

A methode of producing double Flowers from ſingle by a regular Courſe of Culture. London, 8. c. f. (*Ex dedicatione ad Ill.* HALLERVM *directa, patet, Cl.* HILL *eſſe Auctorem*).

Prairies Artificielles, ou Moyen de perfectionner l'Agriculture dans les Terreins ſecs et ſteriles de toutes les Provinces, ſur tout en Champagne. Seconde Edition, augmentée. à Bruxelles.

Beſcrivelſe over Eylandet St. Croix i America i Weſt-Indien. Kioebenhavn. 4.

The conſtruction of the nerves and cauſes of nervous Diſorders by *Wedale* (*Nomen fictum;* IOANNES HILL *ſibi ipſe poſtea tribuit*). London, 8.

Noua, ad praxin medicam praecipue vtiliſſima vniuerſae Botanices rudimenta. Patauii, 4. (*Auctore* IOAN. ANTON. DE MONTE PIGATI)

A Letter from a Phyſician at Bath to Dr. HERBERDEN. Wherein are ſet forth the Nature, Symptoms, and Cure of the malignant Sore-throat; with a Hint or Two concerning the Efficacy of the Bark on ſome Important Occaſions. London, 4.

PETR. AVGVSTIN. ADET, Quaeſt. med. an leucophlegmatiae leues ſcarificationes? Reſp. *Ioannes St. Ioire.* Pariſiis, 4. (*Auctore olim* ELIA DE VILARS, *nunc denuo recuſa*).

PEHR ION. BERG Inträdes tal om Stokholm för 200 aor och Stokholm nu för tiden i anſunde til handel och wetenskaper färdeles den medicinska. Stokholm, 8 mai. (*Praeter alia docet, quale medicina Holmiae habuerit incrementum*).

Eiusd.

Eiusd. Förſök til de uti Swerige gangbara ſiukdomars ut rönande för aor 1756. ibid. 8.

Dei vermi cucurbitini dell' Uomo: Diſcorſo D'ANTONIO COCCHI Mugellano: Letto in Firenze nell' anno 1734 in una Adunenza della Societa Botanica. in Piſa, 8.

ANDREAS COLLIN Diſſ. ſiſtens fata Botanices in Finnlandia. Abo.

FRANCISC. DE PAVLA COMBALVSIER. Quaeſt. Med. danturne morbi ſalutares? Reſp. *Natal. Nic. Malcet.* Pariſiis, 4. (*Auctor olim fuit* ELIAS COL DE VILARS; *nunc modo recuſa*).

IOANNIS FORDYCE hiſtoria febris miliaris et de hemicrania diſſertatio. Accedit de morbo miliari epiſtola CAROLI BALGUY. London, 8 mai.

CAROLVS LINNAEVS, Diſſ. inaug. Medicamenta graueolentia. Reſp. *Ioan. Theodorus Fagraeus.* Vpſalia, 4.

Eiusd. Diſſ. Pandora Inſectorum. Reſp. *Ericus Ol. Rudbeck.* ibid. 4. c. f.

IOAN. IAC. MESSENCE. Quaeſt. med. an caries in extremitatibus oſſium vix ſanabilis. Reſp. *Natalis Nic. Malcet.* Pariſiis, 4. (*Auctor quondam fuit* IOAN. FRANCISC. ISEZ; *nunc denuo defenſa*).

PETER POELTZER, Diſſ. de ſudore. Viennae Auſtr.

Obſeruations on that Diſorder of the Corner of the Eye commonly called fiſtula lachrymalis. By PERCIVALL POTT London, 8.

Diſcorſo

Diſcorſo letto nell' Academia Botanica di Cortona del P. F. V. (*Sine loco et anno*), 4. (*De venenis agitur et caſus recenſetur de laureolae ſemper virentis indole venenata. Auctor eſſe creditur* REGINALDO SELLARI.

Le Georgiche di P. VIRGILIO MARONE, tradotta in Verſo dal P. ANTONIO AMBROGI, in Roma.

IOH. GOTTSCHALCK WALLERIVS, Diſſ. de origine fontium. Reſp. *Laurentius Eckſtrand.* Vpſal, 4.

Contenta in hac parte.

1. Verhandelingen uitgeeven door de Hollandſe Maatſchappy der Weetenſchappen te Harlem Pars III p. 3.
2. Dictionaire raiſonné et uniuerſel des animaux Tom. I. II. III. IV p. 22.
3. LVDWIGII Definitiones generum plantarum. Edit. D. BOEHMERI p. 27.
4. SIGWART Quaeſtiones medicae Pariſinae p. 33.
5. Quaeſtiones chemicae Monſpelienſes p. 37.
6. POTT, an Account of a particular Kind of Rupture p. 54.
7. Recueil des Pieces, qui ont concouru pour le Prix de l'Academie Royale de Chirurgie. Tom. III p. 57.
8. DE HAEN Ratio medendi in noſocomio practico etc. Pars I et II p. 84.
9. *Vermehrtes und verbeſſertes Blackwelliſches Kräuterbuch* III *und* IV *Hundert* p. 103.
10. *Hamburgiſches Magazin, oder geſammlete Schriften aus der Naturforſchung.* 18 - 22 *Band* p. 109.
11. VOGELS *Anatomiſche, chirurgiſche und mediciniſche Beobachtungen und Unterſuchungen* p. 115.
12. *Schaeffers vorläufige Beobachtungen der Schwämme um Regensburg* p. 129.
13. PLVMIERII Plantarum americanarum Faſc. VII et VIII p. 136.
14. LVDWIG. Diſſ. de laeſa oſſium nutritione p. 141.
15. FABRICII Sylloge obſeruationum anatomicarum p. 144.
16. LOVIS, Diſcours hiſtorique et critique ſur le Traité des Maladies des Os de feu M. PETIT p. 147.
17. *Der Artzt, eine mediciniſche Wochenſchrift* 1 *und* 2 *Theil* p. 153.
18. Noua phyſico - medica p. 158.
19. Supplementum alterum ſcriptorum phyſico-medicorum, quae anno 1757 prodierunt p. 185.
20. Supplementum ſcriptorum phyſico - medicorum, quae anno 1758 prodierunt p. 188.